INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

PARS II.

DE POENITENTIA, DE EXTREMA UNCTIONE, DE ORDINE, DE MATRIMONIO.

AUCTORE

PETRO EINIG

S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
EIUSDEM S. THEOLOGIAE IN SEMINARIO TREVERENSI PROFESSORE.

TREVERIS
EX OFFICINA AD S. PAULINUM.
1901.

IMPRIMATUR.

Treveris, die 7. martii 1901.

REUSS
Vicarius Generalis.

INDEX.

pag.

DE POENITENTIA.

CAPUT I.

DE POENITENTIAE VIRTUTE.

CAPUT II.
DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA EXTREMAE UNCTIONIS.

CAPUT II.

DE ESSENTIA EXTREMAE UNCTIONIS.

DE ORDINE.

CAPUT I.

DE ORDINE IN SE SPECTATO.

CAPUT II.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO UT EST IN OFFICIUM NATURAE.

pag.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO UT EST SACRAMENTUM.

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

pag.

CAPUT IV.

DE POTESTATE ECCLESIAE IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM.

DE POENITENTIA.

„Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam, in baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur: non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur . . . Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat sacramentum nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum." Conc. Trid. Sess. 14 cap. 1.

Poenitentia igitur dupliciter accipitur: ut est *virtus* et ut est *sacramentum*. Prius de poenitentiae virtute dicemus: tum quia haec sine sacramento consistere potest, quamvis sub lege gratiae, ut prosit, necessarium ad sacramentum ordinem habeat, tum „quia huius virtutis actiones tamquam materiam praebent, in qua poenitentiae sacramentum versatur; ac nisi prius quae sit poenitentiae virtus recte intelligitur, sacramenti etiam vim ignorari necesse est." (Catech. Rom.)

Caput I.

De poenitentiae virtute.

Tria sunt consideranda: poenitentiae virtutis *natura, efficacia, necessitas*.

Articulus I.

De natura virtutis poenitentiae.

Thesis 1.

Poenitentia salutaris non est solum 1. novae vitae propositum, sed necessario 2. vitae anteactae detestationem et dolorem complectitur.

Lutherus eruditissimorum virorum studio didicisse se profitetur, poenitentiae vocem non significare, ut olim putabant, odium vitae praeteritae, sed iustitiae et novae vitae amorem [1]); et idem Lutherus verissimum dicit esse proverbium et omni doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: „nymmer thun die hochste pus“ [2]), optimam sc. poenitentiam esse novam vitam.

„Eruditissimi“ illi Lutheri magistri *Laurentius Valla* et *Erasmus* fuerunt, qui, ut grammatici potius erant doctores quam theologi, etymologicis suis cavillis doctrinae illius fundamentum iecerunt. Male enim, aiunt, a Vulgata vocem graecam μετανοεῖν poenitendi verbo verti, cum aliud nihil sit quam „posterius intelligere“ seu resipiscere; quod idem *Theodorus Beza* de voce hebraica שׁוּב (reverti) affirmat. Imo ipsam vocem latinam poenitendi, utpote a „pone tenendo“ derivatam, nihil aliud Erasmus dicit esse nisi posterius consilium tenere.

Doctrina Lutheri damnata iam a Leone X iterum reprobata est a *Concilio Tridentino* (Sess. 14 cap. 4), quod aperte declarat „contritionem (quae primum locum inter poenitentiae actus habet) non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere“.

DEMONSTRATUR: 1. Poenitentia novae vitae *propositum* complectitur.

Quod novae vitae propositum spectat, non est cur illud poenitentiae notionem ingredi fusius probetur. „Ille enim, sic S. Thomas, est irrisor et non poenitens, qui simul dum poenitet agit quod poenitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati; quod autem aliquis postea peccat vel actu vel proposito, non excludit, quin prima poenitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem.“ [3])

---

[1]) Luther. Epist. ad Staupitium.
[2]) Luther. Sermo 2 de poenit.
[3]) S. Th. 3 q. 84 a. 10 ad 4.

2. Poenitentiae notio *detestationem et dolorem* includit de peccatis praeteritis.

1. Vox ipsa *poenitendi* solum *etymologice* spectata, quidquid dicit Erasmus, aliquid amplius significat quam mutationem consilii. [1])

„Poenitere est poenam tenere, ut quis semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.“ [2]) „Poenitentia appellata quasi punitentia, eo quod ipse homo in se puniat poenitendo quod male admisit.“ [3])

2. Vox *poenitendi*, nec minus voces μετανοεῖν et שׁוּב, quamvis etymologice tantum spectatae nihil doloris videantur significare, *usu* tamen loquendi, qui maxime est spectandus, non solum, ut somniatur Lutherus, gratum quid et dulcissimum sonant, sed poenam quoque et dolorem.

a. Usus *profanus:* „Qui (Alexander) cum interemisset Clitum, familiarem suum, vix a se manus abstinuit, tanta vis fuit poenitendi.“ [4]) „Poenitet, et facto torqueor ipse meo.“ [5]) „Sum dea, quae facti non factique exigo poenas; nempe ut poeniteat; sic Metanoea vocor.“ [6])

b. Usus *sacer:* Monemur poenitentiam agere (μετανοεῖν) „in cilicio et cinere“ (Matth. 11, 21), „in ieiunio et fletu et planctu“ (Ioël 2, 12, 13). „Nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo (ὁ μετανοῶν ἀπὸ τῆς κακίας αὐτοῦ, נִחָם עַל־רָעָתוֹ = gemens super peccato suo), dicens: quid feci?“ (Ierem. 8, 6). „Gaudeo . . . . quia contristati estis ad poenitentiam (εἰς μετάνοιαν) . . . Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur (μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον ἐργάζεται“ (2 Cor. 7, 9 sq.). Ubi manifestum est, poenitentiam (μετάνοιαν), ut sit salutaris, eam animi mutationem esse, quae ex tristitia est de peccato commisso.

3. Poenitentia salutaris in Scriptura et apud Patres ita passim exhibetur, ut propositum et inchoatio novae vitae *non oriatur nisi*

---

[1]) Quod vocem germanicam „büssen“ attinet, viri eruditi illam a verbo quodam „batan“ derivandam censent, quod idem dicunt significare quam vigere, valere, integrum esse. Cf. ‚Deutsches Wörterbuch von Grimm‘ sub voce büszen. — Notatu dignum videtur, vocem μετάνοια, quam Vulgata poenitentiam vertit, a versione *Ulfilae* semper reddi voce „*idreiga*“, et in omnibus fere linguae nostrae monumentis vetustissimis „poenitentiam agere“ esse „*hriuva* tuon“ vel „wurchan“: quae voces certissime interiorem animi dolorem atque tristitiam significant.

[2]) De vera et falsa poenitentia, 35, inter opp. Augustini.

[3]) Isidor. Hisp. Orig. 6, 19.

[4]) Cic. Tusc. 4, 37.

[5]) Ovid. Ex Ponto 1, 1.

[6]) Auson. Epigr. 12.

1*

ex detestatione peccati prius concepta. Cf. Scripturae loca sub 2, b. — „Oportet eum, qui agit poenitentiam, affligere animam suam et humilem se praestare in omni negotio et vexationes multas ac varias perferre.“ [1]) „Unde se converteret aliquis, cui primus status placeret? Qui itaque convertitur, necessario dolet habere quod gaudet perdere.“ [2]) „Quid restat nobis, nisi semper dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit poenitentia; si vero poenitentia finitur, quid relinquitur de venia?“ [3]) „Nemo eligit vitam novam nisi quem veteris poenitet.“ [4]) „Non sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.“ [5]) — Merito itaque aeque ac breviter Gregorius M.: „Poenitere est peccata praeterita plangere et plangenda non perpetrare.“ [6])

COROLLARIUM **1.** Duplicem ex praecedentibus voluntatis poenitentis ad peccatum commissum deprehendimus ordinem: *detestationem* eius et *dolorem*. *Detestatio* aliud non est quam facti improbatio seu displicentia praeteriti peccati. Quae quidem displicentia non ita concipienda est, ac si „voluntas conaretur ad hoc quod factum non fuerit, quod prius factum est, id quod stultum foret; sed est displicentia seu reprobatio facti praeteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum poenae.“ [7]) Displicentia porro huiusmodi „*dolorem* causat in eo, qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita; post hanc vitam autem sancti non sunt susceptivi doloris, unde displicebunt eis peccata praeterita sine omni tristitia.“ [8]) Dolor vero intelligitur „tristitia *voluntatis;* est enim alius dolor in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore vel ex necessitate naturae, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum, vel ex electione.“ [9])

2. *Obiectum* poenitentiae duplex distinguitur: *prosecutionis* et *fugae.* Obiectum *prosecutionis* sunt ea, quae cognoscuntur necessaria vel utilia ad peccatum destruendum. Obiectum *fugae* sunt, si de poenitentia proprie dicta sermo est, peccata propria, eaque per se solum commissa, ex consequenti et virtualiter etiam futura quae possint committi. Nequeunt autem poenitentiae obiectum esse peccata aliena; nam „illud idem conteritur quod prius durum et integrum fuit“ [10]). Breviter hoc ita enuntiat S. Thomas

---

1) Herm. Simil. 3, 7.
2) De vera et falsa poenit. 4.
3) Ibid. 3.
4) Augustin. Hom. 27.
5) Augustin. Sermo 351, 5.
6) Gregor. M. Hom. 34 in Evang.
7) S. Th. 3 q. 85 a. 1 ad 3.
8) S. Th. 3 q. 84 a. 8.
9) S. Th. 4 dist. 17 q. 2 a. 3.
10) S. Th. 3 dist. 17 q. 2 a. 2. — Hinc intelligitur, cur decreto S. Officii 15 iul. 1893 reprobatus fuerit titulus: „Cor Iesu poenitens“ et etiam „Cor Iesu poenitens pro nobis“.

„Materia poenitentiae sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda et destruenda.“ [1]) — Quod peccatum *originale* attinet, non est de eo poenitentia proprie dicta, „quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte inquantum voluntas Adae reputatur nostra; inquantum tamen large accipitur poenitentia pro quacunque detestatione rei praeteritae, potest dici poenitentia de peccato originali“ [2]).

Thesis 2.

Poenitentia 1. virtus est, eaque 2. specialis, et quidem 3. species iustitiae.

Poenitentia, quam virtutem esse asserimus, ea est quae consistit in voluntate. — *Virtus* intelligitur „habitus vel actus, qui bonum facit habentem.“ *Specialis* virtus erit, quae prae ceteris speciale habet obiectum formale seu motivum. Specialem virtutem poenitentiam esse defendimus contra eos, qui eam non esse dicunt nisi aggregationem quandam ex omnibus virtutibus constantem, quatenus sc. ad singulas virtutes pertineat detestari peccatum sibi contrarium. *Iustitia* est virtus ad alterum; eius medium est aequalitas, quae constituitur inter illos, inter quos est iustitia.

DEMONSTRATUR: **1.** Poenitentia est *virtus*.

1. Patet ex *auctoritate*, quia sc. poenitentiae est *praeceptum*.

„Bonum est poenitere annon? Quid revolvis? Deus praecipit. At enim ille non praecipit tantum, sed etiam hortatur.“ [3]) „Vivo, inquit Dominus, et poenitentiam malo quam mortem. Ergo poenitentia vita est, cum praeponitur morti. Eam tu peccator, mei similis, ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulae fidem. Haec te peccatorum fluctibus mersum prolevabit et in portum divinae clementiae protelabit.“ [4]) „Ut inter omnes sanos constat, utile est poenitere peccati. Quid ergo nunc in hanc rem divinarum Scripturarum testimonia, quae usquequaque diffusa sunt, colligam? Vox est etiam ista naturae; neminem stultum rei huius notitia deseruit; hoc nobis nisi penitus insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere, non se peccare; non autem sibi esse, si peccaverit, poenitendum, nulla barbaries dicere audebit.“ [5])

2. Patet ex *ratione interna*.

„Poenitentia est cum quadam electione: quae quidem si sit recta, necesse est, quod sit actus virtutis; dicitur enim, quod virtus

---

[1]) S. Th. 3 q. 84 a. 2.
[2]) S. Th. l. c.
[3]) Tertull. de poenit. 4.
[4]) Tertull. l. c.
[5]) Augustin. De duab. animab. 14.

est habitus electivus secundum rationem rectam: pertinet autem ad rationem rectam ut aliquis doleat, de quo dolendum est, et eo modo et fine, quo dolendum est: quod quidem observatur in poenitentia, de qua nunc loquimur, nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea; unde manifestum est, quod poenitentia vel est virtus vel actus virtutis.“ [1]) — Dolor poenitentis „moderatus“, ut loquitur Angelicus, esse debet, quia, ut ait Catechismus Romanus, „interdum evenit ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est, dolorem homines capiant . . ., rursus vero alii ita se moerori animi et aegritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent; ut igitur modum in dolore tenere possimus, poenitentiae virtute adiuvamur.“

2. Poenitentia est virtus *specialis*.

1. Si poenitentia non esset nisi aggregata ex singulis virtutibus: „non posset moraliter loquendo poenitere *brevi tempore* ille, qui multa et diversa peccata perpetrasset; deberet quippe apprehendere prius singillatim motiva specialia virtutum omnium, contra quas peccaverat“ [2]).

2. Peccata quaecunque quamvis diversa prae voluntate poenitente habent quid *commune*, unde sint detestabilia, videlicet quod sunt Deo adversa: ergo voluntas ea sub communi hac ratione poterit detestari. „Species habituum distinguuntur secundum species actuum; et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati praeteriti, inquantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.“ [3]) — Licet ergo poenitentiae materia sint omnia peccata, ea tamen non respicit nisi „inquantum sunt emendabilia per actum hominis“; licet omnia peccata expellat, „non tamen ea expellit formaliter, sicut virtus quaelibet specialis expellit habitum vitii oppositi, sed effective inquantum operatur ad destructionem peccati prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante: unde non sequitur, quod sit virtus generalis“ [4]).

3. Poenitentia est species aliqua *iustitiae*.

1. Haec mens est et sensus tum *populi fidelis* tum *Patrum*. „Divina iustitia est, ut, qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit.“ [5]) „Peccatum impunitum esse

---

[1]) S. Th. 3 q. 85 a. 1.
[2]) Lugo, De poenit. disp. 2 sect. 1.
[3]) S. Th. 3 q. 85 a. 2.
[4]) S. Th. l. c.
[5]) Augustin. De Gen. ad litt. 8, 14.

non potest; si peccatum impunitum remaneat, iniustum est: ergo sine dubitatione puniendum. Hoc tibi dicit Deus tuus: puniendum est peccatum aut a te aut a me. Punitur ergo peccatum aut ab homine poenitente aut a Deo iudicante. Punitur ergo aut a te sine te, aut a Deo tecum. Quid est enim poenitentia nisi sua in se ipsum iracundia? Qui poenitet, irascitur sibi. Nam si non ficte fiat, unde est et pectoris tunsio? Quid feris, si non irasceris? Quando ergo tundis pectus, irasceris cordi tuo, ut satisfacias Domino tuo.“ [1])

2. Ex *ratione* idem evincitur. „Poenitentia non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret caritas, sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensae contra aliquem commissae non fit per solam cessationem offensae; sed exigitur ulterius quaedam recompensatio, quae habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio; nisi quod recompensatio est ex parte eius qui offendit, utpote cum satisfacit; retributio autem est ex parte eius in quem est offensa commissa. Utrumque autem ad materiam *iustitiae* pertinet, quia utrumque est commutatio quaedam. Unde manifestum est, quod poenitentia, secundum quod est virtus, est pars iustitiae. Sciendum tamen est, quod dupliciter dicitur iustum: sc. simpliciter et secundum quid. *Simpliciter* quidem iustum est inter aequales, eo quod iustitia est aequalitas quaedam, quod Philosophus vocat iustum politicum vel civile, eo quod omnes cives aequales sunt quantum ad hoc quod immediate sunt sub principe, sicut liberi existentes. Iustum autem *secundum quid* dicitur quod est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale iustum consideratur in poenitentia. Unde poenitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundum illud Ps. 122, 2: «Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri»; et sicut filius ad patrem, secundum illud Luc. 5, 21: «Pater, peccavi in coelum et coram te»; et sicut uxor ad virum, secundum illud Ierem. 3, 1: «Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus».“ [2])

COROLLARIUM **1.** In aliquo igitur essentiali poenitentia cum iustitia convenit, in aliquo deficit a perfecta ratione ipsius: est ergo non quidem ipsa iustitia, sed, ut vocant, eius *pars potentialis.* Iustitia vero, ad quam pertinet poenitentia, ea est, quam *commutativam* dicunt, „quae consistit in his quae mutuo fiunt inter duas personas ad invicem“ [3]).

---

[1]) Augustin. Sermo 19, 2.
[2]) S. Th. 3 q. 85 a. 3.
[3]) S. Th. 2, 2 q. 61 a. 1.

2. „Poenitentia licet sit directe species iustitiae, comprehendit tamen quodammodo ea quae pertinent ad *omnes virtutes*. Inquantum enim est iustitia quaedam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quae sunt virtutum theologicarum, quae habent Deum pro obiecto: unde poenitentia est cum fide passionis Christi, per quam iustificamur a peccatis, et cum spe veniae, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem. Inquantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiae, quae est directiva omnium moralium virtutum. Sed ex ipsa ratione iustitiae non solum habet id quod iustitiae est, sed etiam ea quae sunt temperantiae et fortitudinis, inquantum scilicet ea quae delectationem causant ad temperantiam pertinent, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem iustitiae veniunt. Et secundum hoc ad iustitiam pertinet et abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam, et sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.“ [1])

Thesis 3.

Quod actus animi poenitentis spectat, 1. principium eorum solet esse timor; qui actus timoris, licet servilis, 2. non est actus malus.

Distinguuntur *actus* poenitentiae *eliciti* et *imperati*, utrique vel mere interni vel etiam externi. Eliciti sunt, quos ponit ipse habitus poenitentiae ut talis; imperati sunt, quos animus poenitens fieri vult et ab alia virtute produci iubet, quia utiles apprehenduntur ad poenitentiae finem assequendum. Actus poenitentiae eliciti praecipui sunt illi, quos iam novimus: detestatio, dolor, propositum. — Quaeritur, quinam actus animi ex lege ordinaria soleat esse *primus* in serie actuum poenitentiae elicitorum et reliquorum quasi principium. Respondent, hunc actum esse non quidem necessario, sed ex communi naturae humanae conditione *timorem*, et quidem timorem *servilem* sicut primum affectus motum ad poenitentiam perducentem, *filialem* sicut immediatum et proximum. Quae ut recte intelligantur, pauca de poenitentiae motivis dicenda erunt.

Ex praecedentibus manifestum est, in poenitentia salutari peccatum spectari semper prout Deo adversatur. Iam vero plurimis modis ac rationibus peccatum adversatur Deo: est enim Deo exosum, a Deo prohibetur, ut Deum amittamus, beatitudinem nostram, efficit, et ut poenam mereamur ab ipso infligendam. Patet ergo, cum propter diversas has rationes animus peccatum possit detestari, diversa poenitentiae virtutis esse *motiva* aliis alia perfectiora ac nobiliora; diverso ergo modo ex his diversis motivis poenitentiam peccata detestantem posse dividi ac denominari. Celebris praeprimis est divisio

---

1) S. Th. 3 q. 85 a. 3 ad 4.

illa, qua poenitentia dispertitur in *perfectam* et *imperfectam* seu *contritionem* et *attritionem*.[1] Contritio sensu latiori omnis peccati detestatio vocatur ex quocunque motivo proficiscatur, sensu vero strictiori detestatio nobilior et quidem quae tantae est perfectionis, ut „disponat ultimo ad gratiam iustificationis etiam extra sacramentum“[2]. Attritio vocatur poenitentia minus perfecta minusque efficax. Nominum horum S. Thomas sic reddit rationem: „Attritio dicit accessum ad perfectam contritionem: unde in corporalibus dicuntur attrita, quae aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta; sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat attritio in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam.“[3] Attritio „vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu (ad quem etiam desiderium beatitudinis pertinet) communiter concipitur“ (Conc. Trid. Sess. 14 can. 4).

Attritionem conceptam „solum ex timore praecepti et dolore damni“ *Lutherus* asseruit esse actum malum et hominem efficere „hypocritam, imo magis peccatorem“, idque tripliciter: tum sc. quia sit sine caritate, tum quia eiusmodi poenitentia non proficiscatur ex animo et corde sincero, tum quia adiunctam habeat voluntatem peccandi.[4] Quam doctrinam Lutheri, ad substantiam quod attinet, secuti sunt *Baius, Iansenius* et *Quesnellus*, docentes nihil medium esse inter „vitiosam cupiditatem et laudabilem caritatem“. Horum damnatae sunt hae propositiones: „Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est violenta, eo magis ducit ad desperationem“; „timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato adducitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur“; „qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo et iam est reus coram Deo“; „attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus et supernaturalis“.

---

[1]) Iam sub initium saec. 12 Albertus Magnus in suis Regulis theologicis utitur voce „attritionis“ ad significandam imperfectam contritionem tamquam voce theologis bene nota.

[2]) Lugo, Disp. 5 sect. 1.

[3]) S. Th. Suppl. q. 1 a. 2 ad 2.

[4]) In attritionem etiam recenter invehuntur Protestantes, ut Dieckhoff (Der Ablassstreit 1 sq.), Brieger (Das Wesen des Ablasses am Ausgange des Mittelalters 11), Harnack (Dogmengesch. 3, 502 sq.). Qui quidem ut probent, attritionem, quam Ecclesia catholica commendabat, poenitentiam nullam esse nec voluntatem peccandi excludere, ad *Ioannem de Paltz*, monachum Augustinensem († 1511), provocant. Quos bene refutavit N. Paulus in ‚Zeitschrift für kath. Theologie‘ 1899, 48 sq.

Quae doctrina antequam falsa esse ostendatur, de ipsa *timoris* natura quaedam animadvertere necesse erit. Iam vero „de timore nunc agimus, ita S. Thomas, secundum quod per ipsum aliquo modo ad Deum convertimur vel ab eo avertimur. Cum enim obiectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala quae timet a Deo recedit: et iste dicitur timor humanus vel mundanus; quandoque autem homo propter mala quae timet ad Deum convertitur et ei inhaeret: quod quidem malum est duplex, sc. malum poenae et malum culpae. Si ergo aliquis convertatur ad Deum et ei inhaereat propter timorem poenae, erit timor servilis; si autem propter timorem culpae, erit timor filialis; nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.“ [1]) Timor igitur quadruplex est: mundanus, servilis, filialis, initialis.

Timor *mundanus* malus est. Cum enim illud homo timeat amittere quod amat, timor mundanus est qui procedit ab amore mundano; amor vero mundanus proprie dicitur quo quis innititur mundo tamquam fini: id quod semper malum est. Timor *servilis,* qui ita vocatur, quia servorum proprium est domini offensam vitare propter suppliciorum timorem, triplex esse potest: alter, quo quis propter poenas tamquam propter *maximum,* quod horreat, *malum* summeque avertendum de peccatis doleat; alter, quo quis moveatur poena ut conditione *sine qua non,* ita videlicet, ut nisi poena esset, nollet omnino dolere; tertius, quo poena timetur ut malum contrarium bono nostro, prout hoc *recte* diligere possumus et debemus. Prior et alter timor malus est, et idcirco dolor quoque ex ipso conceptus est malus. Prior enim oritur ex perversissimo sui amore, quo quis suam incolumitatem tamquam finem suum ultimum sibi proponit; perversum quoque est et ab eo animo alienum, quo erga Deum affecti esse debemus, sic dolere, ut, nisi essent poenae, nollemus dolere ipsius Dei causa: uterque timor „servilitatem“, quae semper mala est, intrinsecus habet adnexam ac propterea, ut a tertiae rationis timore, qui tantum ex obiecto servilis dicitur, distinguatur, *serviliter servilis* vocatur. Timor, quem contra haereticos bonum esse defendimus, non est nisi ille tertio loco expositus, quo scilicet movetur quis ad dolendum, non quidem ut fine ultimo vel conditione sine qua non, sed tantum ut simplici quodam *motivo.*

DEMONSTRATUR: **1.** Actuum animi poenitentis *principium* solet esse timor.

„De poenitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo quantum ad *habitum,* et sic immediate a Deo infunditur sine nobis principa-

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 19 a. 2.

liter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de poenitentia quantum ad *actus*, quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur: quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. 21: «Converte nos, Domine, ad te, et convertemur»; secundus actus est motus fidei; tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur; quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniae consequendae assumit propositum emendandi; quintus actus est motus caritatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, et non iam propter supplicia; sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet, quod actus poenitentiae a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato, a timore autem filiali sicut ab immediato et proximo principio." [1])

2. Timor, licet servilis, *non* est actus *malus*.

1. *Ratio* hoc evincit. Foret enimvero malus dolor ille vel ex eo quod habet, sc. quia timet poenas, vel ex eo quod non habet, sc. quia non etiam actu concipitur ex amore Dei. Atqui ex neutro capite malus est. Non ex priore. Nam poenae sunt malum quoddam, cuius immunitas in Deum potest referri. Atqui quemadmodum immunitas a malo huiusmodi ut bonum nostrum expetere et amare rationi consentaneum est, ita et malum illud licebit timere et fugere. Neque ex altero capite. Nam nec naturali nec positivo aliquo praecepto probatur necesse esse, ut dolor ille ex Dei etiam amore oriatur; non naturali, quia dolor ille iam ex se bonus est, non positivo, quia nullibi tale reperitur praeceptum.

Audiamus S. Thomam: „Contra rationem servilitatis (i. e. affectus servilis) est, quod aliquis ex amore operetur; sic ergo timor servilis, inquantum servilis est, caritati contrariatur: si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret, quod timor servilis simpliciter esset malus .... Sed praedicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis. Species enim moralis habitus vel actus ex obiecto accipitur. Obiectum autem timoris servilis est poena. Cui accedit quod bonum, cui contrariatur poena, ametur tanquam finis ultimus, et per consequens poena timeatur tanquam principale malum: quod contingit in non habente caritatem; vel quod ordinetur in Deum sicut in finem, et per consequens poena non timeatur tanquam principale malum: quod contingit in habente caritatem. Non enim tollitur species habi-

---

[1]) S. Th. 3 q. 85 a. 5.

tus per hoc quod eius obiectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem. Et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas eius est mala.“ [1])

2. *Scripturae* sacrae a. saepe hominibus, ut eos ad poenitentiam inducant, nihil aliud quam mala peccatum eorum consecutura in mentem vocant; ita Ionas, Nathan, Ieremias, Baptista, Christus ipse, qui Luc. 13, „si poenitentiam, inquit, non egeritis, omnes similiter peribitis“; b. hunc dolorem ex timore conceptum bonum esse praedicant et ut salutarem saepe commendant, atque eos, qui ut Ninivitae hoc timore concussi poenitentiam egerunt, misericordiam a Domino impetravisse narrant.

3. *Patres* timorem hunc ut maxime utilem celebrant; imo nonnunquam absque eo caritatem vix in animum intrare docent. „Quid, verba sunt Chrysostomi, corporis viribus opus est, cum cor conterere debeamus? Hoc a nobis exposcitur, ut semper recordemur mala nostra et conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro his supplicemus Deo et gehennam ponamus in conspectibus nostris et angelos, qui in die iudicii ubique discurrunt et congregant de omni orbe terrarum eos, qui trudendi sunt in gehennam ignis. Ponamus etiam illud ante oculos, quanti doloris est excludi et proiici a regno coelorum, quod, ut mihi videtur, gravius est ipsa gehenna.“ [2]) „Quomodo, sic Augustinus, si videas avem iam cadere in muscipulam, facis maiorem strepitum, ut volet de muscipula, sic et martyres; iam forte aliqui ipsum intendebant collum in dulcedinem vitae huius: Dominus, qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, et erutus est passer de muscipula venantium.“ [3]) „Si nullus est timor, ita idem S. Augustinus, non est qua intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed, nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet quia ideo intravit, ut introduceret caritatem . . . . Stimulat timor; noli timere: intrat caritas, quae sanat quod vulnerat timor.“ [4])

4. Rem clare docuit *Concilium Tridentinum* (Sess. 14). Imprimis indolem attritionis sic declarat (cap. 4): „Illam contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, declarat (Synodus) non solum non facere hominem hypocritam et magis

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 19 a. 4.

[2]) Chrysost. De compunct. cord. 1.

[3]) Augustin. In Ps. 123, 12.

[4]) Augustin. In 1 Ioan. tr. 9; cf. Augustin. Epist. 48 ad Vincent.

peccatorem, verum etiam donum Dei esse etc." Deinde (can. 5) rem sic definit: „Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium: a. s."

COROLLARIUM **1.** Auctores aliqui, licet timorem, de quo loquimur, non audeant diserte reprobare ut malum, nihilominus tamen bonum et salutarem eum esse nolunt admittere. Ratio eorum est duplex. Vel enim dicunt timorem illum nos non cohibere nisi a peccatis *externis*: „timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur"; ita Quesnellus.[1]) Vel conditionatum solum esse ac solam velleitatem nec unquam non significare et includere *affectum animi ad peccatum*; ita Chr. Lupus.

Iam vero prius illud absurdum est. Id enim omne cohiberi potest timore, quod est puniendum; atqui, si de Deo agatur, actus mali interni aeque puniendi cognoscuntur ac externi, imo externi puniendi non sunt nisi propter internos. Alterum ipsa hac thesi satis iam censemus refutatum. Concedi sane debet posse fieri, ut ex timore non oriatur nisi „velleitas" peccati fugiendi et quandoque timorem esse „conditionem sine qua non" eiusdem vitandi, ita ut peccatum affectu animi remaneat: verum non iste est timor, quem defendimus. Contendimus autem, non omnem timorem esse istiusmodi. Et sane: si omnis timor necessario coniunctus esset cum affectu ad peccatum, omnis timor esset malus, poenitentia porro, utpote quae timorem habeat principium, esset mala, et quotiescunque peccator ex timore contereretur, hypocrita esset et magis fieret peccator: quae omnia falsa sunt et damnata. „Contritio et attritio convenire debent non solum in hoc, quod utraque sit detestatio peccati super omne detestabile, verum et in absoluto proposito nunquam peccandi pro aliqua re mundi."[2]) — Obiiciunt adversarii Augustinum. Verum hic, si timorem cum „caritate" exigit, caritatem intelligit „voluntatem boni"; si timorem „castum", eum excludit, qui est serviliter servilis.[3])

2. Ex thesi immediate consequitur, timorem servilem non includere affectum peccati. Imo vero ex timore illo talis peccatorum detestatio potest determinari, quae peccandi voluntatem omnem *excludat*. Ipsa *ratio* id iam suadet. Poterit enim sine dubio vis timoris, quo poena timetur, esse tanta, ut animum determinet ad vitandum peccatum omne, quippe quo poena inducatur; iam vero repugnat, ut in animo ita comparato adsit voluntas

[1]) Quesnelli prop. 61.

[2]) Dom. Soto 4 dist. 17 q. 2 a. 5.

[3]) Cf. Faure in c. 121 Enchiridii S. Augustini.

peccandi: ergo fieri potest, ut timor per se solum peccandi voluntatem excludat. *Concilium Tridentinum* hoc idem evidenter supponit, cum (Sess. 14 cap. 4) dicat, „contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, . . . si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, . . . donum Dei esse.“

3. Ex verbis Augustini supra citatis colligere quis posse sibi videbitur, timorem servilem nunquam in anima *manere* posse introducta caritate. At verum hoc est, si agatur de timore servili inquantum est servilis; si vero sermo est de timore servili, qui nonnisi ex obiecto servilis vocatur, intelligendus est Augustinus exponere quod fere solet accidere: „nempe ut primo stimuletur aliquis actu tali timore, deinde illum actu quidem deponat, posteaquam flagrans in Deum caritas animum occupavit“[1]), iuxta illud 1 Ioan. 4: „perfecta caritas foras mittit timorem“. Qua de re audiatur S. Bonaventura: „Timor servilis tres habet conditiones: unam sicuti materialem et substratam, et haec est timere poenam aeternam; alteram sicut formalem et completivam, et haec est principaliter intueri illam poenam aeternam; tertiam sicut annexam, et haec est habere voluntatem deformem coniunctam. Cum igitur gratiae donum superinducitur, timor servilis quantum ad hoc, quod materiale erat in ipso, hoc est inquantum habilitabat ad timendam poenam, manet cum gratia, quia gratiae non repugnat. Quantum vero ad alias duas conditiones, videlicet quantum ad completivam et quantum ad annexam, pellitur per ipsam gratiam: quia cum gratia supervenit, nec principaliter intuetur poenam nec habet annexam voluntatem malam.“[2])

4. Cum timor, quem lege ordinaria poenitentiae principium et actum bonum esse defendimus, poenam non apprehendat nisi ut a Deo infligendam ideoque et ipse Deum respiciat, utpote „principium inflictivum poenarum“[3]), cumque praeterea timor hic non refugiat poenam ut malum summum ideoque non proficiscatur ex amore sui perverso, qui proprium bonum constituat finem ultimum: dolor ex hoc timore ortus implicite iam et virtualiter Dei bonum bono suo proponit et *in praeparatione* iam *Dei amorem continet.* Atque hoc maxime sensu verissimum est, quod dicit Augustinus, sc. „timore introduci caritatem ut seta linum“.[4])

5. Per se patet, cum timore, poenitentiae motivo, quemadmodum cum alio quocunque motivo eiusdem, ut poenitentia sit bona ac salutaris, *spem* quoque veniae obtinendae coniunctam esse oportere, spem sc. qua peccatores fidunt „Deum sibi propter Christum propitium fore“ (Conc. Trid. Sess. 6 cap. 6). „Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur“ (Hebr. 4, 16). „Nemo potest bene agere poenitentiam nisi qui speraverit indulgentiam.“[5])

---

[1]) Gregor. de Valent. Disp. 7 q. 2.

[2]) S. Bonav. 3 dist. 34, p. 2 a. 1, q. 3. — Quomodo timor servilis remanere queat cum caritate, egregie explicat S. Thomas (2, 2 q. 19 a. 6); ubi et alia de timore praeclare dicta leguntur.

[3]) S. Th. 2, 2 q. 19 a. 5.

[4]) Cf. Viva in prop. 15 ab Alex. VIII damn. n. 26.

[5]) Ambros. De poenit. 1, 4.

Haec tamen spes longissime distat a fiducia illa vana seu, ut vocant, fide, quam una cum terroribus conscientiae incussis Protestantes poenitentiae partes statuerunt, quaeque iuxta ipsos in eo consistit, ut quis ex evangelio vel absolutione absque ulla prorsus formidine peccata sibi per Christum independenter a propria dispositione remissa esse credat. Cf. Conc. Trid. Sess. 14 cap. 3 et can. 4.

Thesis 4.

Caritas, qua contritio dicitur formata, est amor, quo Deus diligitur propter se ita, ut nec 1. amor ipsius, prout nobis bonus est, excludatur, nec 2. intensive summus esse debeat.

Omnis quidem poenitentia salutaris, ideoque etiam illa, quam hucusque consideravimus, peccatum detestatur *ut est Dei offensa.* Iam vero est aliqua poenitentia, in qua haec peccati ratio, quod Deum offendit, versatur non solum ex parte obiecti, sed etiam a parte motivi: poenitentia, quae peccatum destatur, *quia* Dei offensa est. Cum enim Deus summe sit bonus summeque amandus, peccatum, quod ipsi adversatur, summum est malum atque adeo super omnia detestabile: quamobrem prout tale animus odio illud habere poterit. Poenitentia huiusmodi ex Dei dilectione proficiscitur, vocatur vero contritio *caritate formata,* atque est illa contritio nobilissima, quam contritionem *perfectam* vel etiam in oppositione ad attritionem simpliciter *contritionem* dicunt.

Nomina *amor, dilectio, caritas* (ἀγάπη, φιλία) non eandem semper vim prae se ferunt. „*Amor* nihil aliud est quam *complacentia* appetibilis; et ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est *desiderium,* et ultimo quies, quae est *gaudium.*“ [1]) „*Dilectio* addit supra amorem electionem praecedentem, ut ipsum nomen sonat: unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum et est in sola rationali natura.“ [2]) *Caritatis* nomen multipliciter accipitur. Sensu latissimo *amorem* significat, quo animus rem quamcunque, sive bona sit sive mala, amplectitur; minus late dicit *amorem boni* seu, ut dicit Augustinus „bonam voluntatem“; pressius sumitur pro *amore gratuito,* seu amore, quo quis amatur non amore *concupiscentiae,* sed eo qui *benevolentiae* dicitur, ac si mutuus est *amicitiae.* Motivum porro formale contritionis est *caritas;* non vero sufficit, ut nonnulli theologi opinati sunt [3]), motivum alterius virtutis, v. g. obedientiae, iustitiae, religionis,

---

[1]) S. Th. 1, 2 q. 26 a. 2.

[2]) S. Th. 1, 2 q. 26 a. 3.

[3]) Cf. Suarez, De poenit. disp. 2 sect. 3; disp. 4 sect. 2; Lugo, De poenit. disp. 5.

quamvis his aliarum virtutum motivis via facile sternatur ad perfectam caritatem eliciendam. Obiectum porro formale caritatis est *divina bonitas,* seu perfectio Dei infinita, propter quam super omnia diligendus est. Haec vero infinita excellentia non in complexu solum reperitur omnium divinarum perfectionum, sed in singulis quoque Dei attributis, v. g. iustitia, veritate, bonitate erga nos homines etc.; imo ea humanae naturae videtur esse indoles, ut mens nostra non tam universa illa velut in genere considerata divina excellentia, quam potius individua aliqua ac peculiari Dei perfectione ad eum amandum soleat moveri.

Iam vero *dupliciter* ex caritate poenitentiam proficisci posse patet: ex caritate sc. qua Deum diligimus *ut in se bonus* est, et ex caritate, qua eum diligimus *ut nobis bonum.* Probandum erit, caritatem illam, qua Deus diligitur propter se, non excludere amorem eius prout nobis bonus est; deinde minime oportere, ut caritas intensive sit summa.

DEMONSTRATUR: **1.** Caritas, qua Deus diligitur propter se, *non excludit* amorem eius *prout nobis bonus* est.

1. Damnatae sunt ab Innocentio XII hae Fenelonii propositiones: „Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum neque propter perfectionem neque propter felicitatem in amando inveniendam.“ „In statu vitae contemplativae sive unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.“ [1]) Atqui si doctrina huiusmodi est falsa, verum necessario erit, caritatem, qua in Deum feramur, coniungi posse cum affectu, quo Deus amatur ut bonus nobis et desideratur.

2. Idem patet ex natura ipsa caritatis, prout ea a Patribus et theologis summis describitur. Et re quidem vera, haec, et non alia caritas censenda est ea, quae in fidei deposito nobis exhibetur. Audiamus imprimis ipsa eorum testimonia.

„Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas Deum. Erubesceres, si te uxor tua propter divitias amaret et forte, si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a coniuge gratis amare velis, tu Deum propter aliud amabis? . . . Non tibi terram, sed seipsum servat qui fecit coelum et terram.“ [2]) „Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo pro-

---

[1]) Cf. etiam propositiones Molinos 7 et 12 apud Denzinger.

[2]) Augustin. In Ps. 53.

perare impleri, de ipso satiari: ipse enim sufficit tibi, praeter illum nihil sufficit tibi."[1] — „Forte mercenarius eris, si diligis Deum et servis ei, ut praemium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam et tam stulti ut seipsos non intelligant . . . Audite homines sapientes. Diligimus, inquiunt, ipsum, sed non quaerimus ipsum. Hoc est dicere, diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem a vobis. Si me sic diligeretis, ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem. Vos videritis, si dignum est, ut Deo offeratis, quod homo digne respueret . . . Quid est diligere nisi ipsum velle habere? Non aliud ab ipso, sed ipsum, hoc est gratis. Si aliud quaereres ab ipso, gratis non amares. Nunc autem non aliud quaeris pro eo quod amas, et tamen aliquid quaeris et desideras in eo ipso quod amas. Alioquin non amares, si non desiderares."[2] „Ex occasione frequentium necessitatum crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari, quam suavis est Dominus. Ita fit, ut ad diligendum pure Deum plus iam ipsius gustata illiciat suavitas, quam urgeat nostra necessitas."[3] „Manifestum est, quod possumus aliquem diligere dupliciter: uno modo ratione sui ipsius, alio modo ratione alterius. Ratione autem sui ipsius, quando eum ratione boni proprii diligimus, utpote quia est in se honestus vel nobis delectabilis aut utilis; ratione autem alterius diligimus aliquem, quando diligimus ipsum, quia attinet alii quem diligimus . . . Sic igitur dicendum, quod caritas diligit Deum ratione sui ipsius, et ratione eius diligit omnes alios."[4] „Caritas unam habet rationem moventem, videlicet ipsam summam bonitatem, quae, cum sit summe amabilis et prout est in se et prout participatur a creatura (praecipue per gratiam et gloriam), utroque modo caritas erit."[5]

Atqui duo ex his manifesta sunt: 1. Omnis Dei amor, cuius motivum *in Deo* est positum, vocatur amor gratuitus et quo Deus propter se ametur; amor vero solus is, cuius motivum *extra Deum* positum est, hoc nomine non potest insigniri; 2. amor ille prior duplex rursus est, sc. amor, quo amatur Deus, *prout est bonum nostrum* seu, ut loquitur Angelicus, „nobis delectabilis et utilis", — qui actus, licet spem inducat, non tamen est ipsa spes — et amor excellentissimus atque purissimus, quo Deus amatur, *quatenus est in se bonus*

[1] Augustin. Serm. 334, 3.
[2] Hugo Victorin. De sacram. 2 p. 13 c. 8.
[3] Bernard. De diligendo Deo 26.
[4] S. Th. De carit. a. 4.
[5] S. Bonav. 3 dist. 27 a. 1 q. 2. — Plura hac de re testimonia legi possunt apud Faure in nota ad cap. 8 Enchiridii S. Augustini.

eique bonum desideratur. Triplex igitur Dei amor distinguitur: amor, qui Deum amat propter aliud extra ipsum, qui est amor concupiscentiae vel mercenarius; amor, qui Deum amat propter se ut nobis est bonus, qui amor, si concupiscentiae dicitur, sanctae est concupiscentiae et a veteribus simpliciter caritas vocatur[1]); amor denique, qui Deum amat, prout ipse in se est infinite bonus, et est hic amor amicitiae perfectus. Iam vero tum ex testimoniis allatis tum ex rei natura manifestum est, tertiam istam et alteram amoris divini speciem, licet illa ab hac possit praescindere, *minime* tamen mutuo se *excludere;* imo, cum quod amatur oporteat ut amanti sit bonum, hanc ab illa aliquo semper modo ut fundamentum supponi.

2. Contritio, cum sit ex caritate qua Deus diligitur super omnia amabilia, erit detestatio ac dolor de peccatis *super omnia* detestabilia. Iam vero duplex esse potest excessus unius amoris vel doloris supra alium: alter *appretiativus.* alter *intensivus.* Excessus appretiativus amoris habetur in existimatione intellectus et voluntatis affectu tali, ut bonum aliquod formaliter vel virtualiter praeferatur aliis; excessus intensivus in modo quo appetitus fertur in obiectum, qui appetitus, cum tendendi nisus gradus admittat, plus minusve intensus ac vehemens esse poterit, et erit eo vehementior, quo magis erga obiectum afficimur, ideoque vehementior generatim erga sensibilia quam erga spiritualia. Iam vero, ut amor Dei et dolor peccati super omnia sit, nequaquam requiritur ut certum intensionis gradum habeat vel ut sit intensive summus; requiritur, ut appretiative sit summus, i. e. „ut pro nullo damno vel commodo velit offendere Deum“ [2]), „ut malit aliquis se non peccasse quam immunem esse a quocunque alio malo quantumcunque detestabili“ [3]). — Quae detestatio ut habeatur, minime necesse est, ut poenitens cum peccato malum hoc vel illud e. g. mortem, infamiam etc. diserte comparet; imo saepe hoc foret periculosum. „Quamvis enim, ita S. Thomas, talis debeat esse contriti dispositio (ut sc. exhorreat peccatum magis quam aliud malum quodcunque), non tamen de eis tentandus est, quia affectus suos homo non de facili mensurare potest; et quandoque illud, quod minus displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est nobis notum.“ [4])

---

[1]) Quod sedulo animadvertendum est, ut Baium, Iansenium, Quesnellum possis refutare, qui veterum testimonia caritatem exigentia obiiciunt, ac si hac voce isti amorem purissimum semper illum intellexerint omni alio amore repudiato.

[2]) S. Bonav. 4 disp. 16 p. 1 a. 2 p. 1.

[3]) Gregor. de Valent. Disp. 7 p. 8 p. 1.

[4]) S. Th. Suppl. q. 3 a. 1 ad 4.

SCHOLION. Caritas in Deum propter se dilectum ideoque et contritio hac caritate formata, licet omnem ad peccata mortalia quaecunque affectum excludat, non tamen necesse est, ut excludat etiam affectum ad *venialia.* Quod ita explicat S. Thomas: „Dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere: uno quidem modo in actu, id est, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur, et ista est perfectio patriae; alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat; et haec est perfectio viae; cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum caritatis, cum non tendat in oppositum obiectum, sed solum impedit caritatis usum.“ [1])

Articulus II.

De efficacia virtutis poenitentiae.

Cum poenitentiae obiectum sit peccatum destruendum, vis atque efficacia eius circa peccatum versetur necesse est. Iam vero quando de peccato destruendo quaeritur, tria consideranda erunt circa obiectum destruendum: destructio culpae, destructio poenae, restitutio meritorum. Investigandum autem imprimis videtur, an sit poenitentia, quae ex se sola haec valeat efficere.

Thesis 5.

Contritio perfecta tantae efficaciae est, ut 1. peccata immediate deleat, 2. quin requiratur determinata eius vel duratio vel intensitas.

Cum poenitentiae naturam investigantes cognoverimus, pro diversis quibus elici potest motivis diversae eam esse posse dignitatis diversaeque efficaciae; cum praeterea de poenitentiae sacramento agentes visuri simus illud in peccatis mortalibus versanti homini necessarium esse: quaeritur, an sit et cuiusmodi sit poenitentia, quae *immediate,* i. e. non quidem absque sacramenti voto, sed priusquam sacramentum actu suscipiatur, hominem peccatorem Deo reconciliet. Fide certum est, esse poenitentiam huiusmodi, hancque esse illam poenitentiam quae *caritate* est formata. Quodsi praeterea quaeratur, cuiusmodi caritas haec esse oporteat, res non est omnino liquida: haud paucis enim qualiscunque caritas, modo diligendi ratio non sit in alio quam in ipso Deo, ideoque caritas quoque illa, qua Deus amatur ut nobis bonus, sufficere videtur. Quidquid est, cum certum sit fide, esse aliquam tantae efficaciae poenitentiam, ut immediate

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 44 a. 4 ad 2.

peccata deleat, nobilissimam saltem ac perfectissimam poenitentiam omnem adeo efficacem esse, ut immediate peccata deleat, contra *Baianos* et *Iansenianos*, id in casu necessitatis aut martyrii dumtaxat concedentes, ut veritatem certam ac catholicam probabimus. Dicimus, *immediate* per contritionem deleri peccata, atque adeo non in solo necessitatis casu, sed semper; contritione perfecta *omni* deleri peccata, quin ergo opus sit ut contritio certum habeat intensitatis gradum vel certam durationem.

Doctrinam catholicam ita enuntiat *Catechismus Romanus:* „Statim ut eam (contritionem) mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, Prophetae verba illa declarant: «Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei». Atque eius rei figuram in decem leprosis animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sint. Ex quo licet cognoscere, verae contritionis eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetremus."

DEMONSTRATUR: **1.** *Contritio perfecta* hominem *immediate* iustificat.

1. Ex *ratione theologica* probatur.

In *Vetere Testamento* hominibus adultis aliquod certe medium suppetebat peccati delendi; quod quidem medium cum non esses sacramentum ex opere operato efficax, illud erat ex opere operanti praestantissimum, quod situm est in contritione perfecta. Atqui medium hoc in *Novo Testamento* nec ullo modo probatur fuisse abrogatum et, cum abrogata non sint nisi quae rationem habuerunt figurarum, dignitati eius summopere convenit ut sit perpetuum, et nefas prorsus est opinari, in Lege ipsa caritatis efficaciam ac vim caritatis imminutam esse.

2. Ex *Scriptura* probatur.

Scriptura caritatem hominis erga Deum quam maxime extollit eamque tantae virtutis esse praedicat, ut hominem Dei efficiat et filium et amicum. „Ego diligentes me diligo" (Prov. 8, 17). „Qui diligit me, diligetur a Patre meo et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum . . . Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus" (Ioan. 14, 21 sq.). „Caritas ex Deo est; et omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum" (1 Ioan. 4, 7). „Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis (τελειότητος i. e. iustitiae)" (Coloss. 3, 14). — Iam vero illud quo fit, ut a Deo diligamur tamquam filii, ut Christus se nobis manifestet, ut Pater et Filius cum Spiritu Sancto amicorum more nos invisant singularique ratione in nobis inhabitent, quodque iustitiae

est consummatio, nullo modo cum peccato, quod Deus odio habet, constare potest.

3. Ex *Patribus* idem probatur.

Patres saepe docent, conversionem ex caritate proficiscentem nullas pati veniae moras. „Sicut ignis, ubi silvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita caritatis fervor, quocunque inciderit, omnia tollit et exscindit, quae divino semini nocere possunt, et terram mundam facit ad excipienda semina. Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala.“ [1]) „Quid esse dilectionem credimus nisi ignem? Quid culpam nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; ac si aperte diceretur: incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per ignem amoris.“ [2]) „Absolvi vis? Ama. Caritas operit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere.“ [3]) „Animae reditus conversio eius ad Verbum, reformandae per ipsum, conformandae ipsi. In quo? In caritate. Ait enim: estote imitatores Dei sicut filii carissimi et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate iucundius? Quid optabilius caritate?“ [4])

4. Atque hoc est *Ecclesiae iudicium* manifestum.

Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 4) docet, „contritionem, quam aliquando caritate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu recipiatur.“ Ubi docemur, non quidem, ut Estius verba Tridentina falso interpretatur, contritione perfecta nos aliquando Deo reconciliari, sed contritionem aliquando esse perfectam, et hac contritione Deo nos reconciliari.

Baii propositiones damnatae sunt, quae sic habent: „Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum“ (31); „caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum“ (32); „per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione sacramenti“ (71); cf. etiam prop. 33 et 70. — Atqui si propositiones hae damnari poterant,

---

[1]) Chrysost. Hom. 7 in 2 Tim.

[2]) Gregor. M. Hom. 33 in Evang.

[3]) Chrysol. Sermo 94.

[4]) Bernard. In Cant. sermo 83, 2 sq.

doctrina iisdem contenta certe non est doctrina revelata; atqui si ea non est revelata, cum alterutra, ut iudicium in tali materia ferri possit, revelata esse necesse sit, doctrina contradictoria revelata erit; atqui doctrina contradictoria est, caritatem non posse esse non coniunctam cum peccatorum remissione.

2. Ut contritio deleat peccata, non opus est vel certa *intensitate* vel *duratione*.

Theologi aliqui, ut Iuenin, Berti, Lupus, fermento Baiano inquinati, contritionem ex amore Dei propter se et appretiative super omnia dilecti conceptam ex intensionis gradibus temporisve mora aliam *intensam*, quae peccatis immediate delendis sit idonea, et aliam *remissam*, quae non sufficiat, distinxerunt. Alii, ut Estius, contritionem caritate perfectam *aliquando* quidem, non tamen semper hominem ante susceptum sacramentum iustificare statuerunt. Utrumque gratis asseritur, imo falsum esse probatur.

„In actione poenitentiae, ita S. Augustinus, non tam consideranda est mensura *temporis* quam doloris.“ [1]) „Homo, ita S. Thomas, *in primo instanti* verae poenitentiae remissionem consequitur praeteritorum peccatorum.“ [2]) „Dicendum, ita idem S. Thomas, quod *quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad rationem contritionis sufficiat, omnem culpam delet.*“ [3])

Et re quidem vera: Ut contritio peccata valeat delere, oportet et sufficit, ut sit contritio caritate perfecta, i. e. quemadmodum ex definitione Tridentina reliquisque supra allatis testimoniis colligitur, ut sit peccati commissi vera detestatio et propositum non peccandi propter amorem Dei per se super omnia, excessu sc. appretiativo, dilecti. Ergo dummodo vera sit caritas, sive sit intensa sive remissa, sive magnae sive parvae durationis, per contritionem hac caritate formatam homo Deo reconciliabitur.

OBIICITUR 1. Etiam *fidei* in Scripturis et a Patribus iustificandi vis tribuitur; atqui hinc colligi nequit fidem iustificationis esse causam totalem: ergo a pari.

Resp. N. paritatem. Fides enim non continet alios qui ad hominem iustificandum concurrere debent actus; caritas, hos actus continet, ipsum etiam votum sacramenti suscipiendi. Fidei vero illa vis tribuitur, inquantum omnium ea est fundamentum.

2. Conditio iustificationis in Scripturis et a Patribus asseritur *observatio legis*: ergo non sufficit caritas.

---

[1]) Augustin. Enchir. 65.
[2]) S. Th. 3 q. 84 a. 8.
[3]) S. Th. 4 dist. 17 q. 2 a. 5.

Resp. Conditio iustificationis stabilis quaeque salutem tandem obtineat aeternam Tr; iustificationis quae est peccatorum remissio Sbd. legis observatio actualis N; virtualis, quae in ipsa caritate, „plenitudine legis", continetur C.

3. Deum non caritate quacunque, sed *ex toto corde* etc. diligere iubemur.

Resp. Ex toto corde etc. i. e. ita, „ut nihil contra dilectionem cor hominis recipiat", vel „ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde, et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente, et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima, et quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine vel virtute vel viribus Deum diligere" [1]), quae quidem omnia eo ipso habentur, quod Deus diligitur amore appretiative summo C; ex toto corde etc. i. e. ut magnam dilectionem et contritionem valde intensam habeamus Sbd. id tamquam quid ad iustificationem obtinendam necessarium praecipitur N; id quam maxime utile et decens esse docetur, ut scilicet „doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequetur" (Catech. Rom.) C.

4. De *muliere peccatrice* legitur: „Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum" (Luc. 7, 47); atqui his declaratur, a. *multam* requiri dilectionem ad delenda peccata, b. peccata nondum caritate esse remissa, sed *remitti* verbis Christi.

Resp. Ad a. Multa dilectio i. e. dilectio appretiative summa C, dilectio intensa Sbd. revera adfuit ideoque et causa erat revera magnae veniae obtentae C; requirebatur ut causa necessaria Sbd. remissionis non solum culpae sed totius etiam poenae, qualem mulier illa obtinuisse videtur Tr, causa necessaria remissionis culpae N.

Ad b. In textu graeco legitur ἀφέωνται i. e. remissa sunt. Praeterea recte exprimuntur tempore praesente quae paulo ante gerebantur, cum moraliter adhuc praesentia censeantur, idque eo vel magis, cum quod interius agebatur exterius quoque significari ac confirmari deceat. [2])

5. *Saulus* iam perfecte erat contritus; nihilominus ei dicitur ab Anania: „baptizare et ablue peccata tua" (Act. 22, 16).

Resp. a. Quomodo Ananias certo scire poterat, Saulum perfecte esse contritum?

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 44 a. 5.

[2]) „Simile quid legimus Marci 5, ubi Dominus mulieri, quam iam sanaverat a fluxu sanguinis, ait: esto sana a plaga tua, quo verbo non eam curavit, sed curationem iam factam confirmavit." Bellarm. 2, 14.

b. Licet perfecte fuerit contritus, non tamen fuit iustificatus nisi cum obligatione suscipiendi baptismum.

6. Si per contritionem peccata remittuntur, *quorsum* homines contriti baptismi vel poenitentiae sacramentum suscipere debebunt?

Resp. a. Deus praecepit. Atque hoc solum responsum suffecerit.

b. Quis porro certo sciet, se esse perfecte contritum?

c. Nec frustra suscipitur sacramentum ab eo, qui perfecte contritus ideoque iam iustificatus est. Nam baptismus non solum ad hoc est institutus, ut peccata remittantur, verum etiam ut homines Ecclesiae aggregentur et reliqua sacramenta recipere valeant; utrumque vero sacramentum auget gratiam, et poenam etiam temporalem vel totam vel ex parte remittit, id quod contritio sola raro admodum et minus perfecte praestat. — Sed de his plura, ubi de necessitate utriusque sacramenti agitur.

7. Ad *Eucharistiam* suscipiendam qui sibi conscius est peccati mortalis absque praemissa sacramentali confessione a Concilio Tridentino prohibetur accedere, „quantumvis sibi contritus videatur".

Resp. a. Si argumentum valeret, contra illos quoque valeret, qui nonnisi contritione valde intensa peccata deleri contendunt.

b. „Retorqueo argumentum: si contritio non sufficit, ergo deberet praemitti confessio ante alia omnia sacramenta, quod est contra sensum Ecclesiae . . . . . Potest vero homo cum contritione ordinari, confirmari, suscipere extremam unctionem etc. (etiamsi sit copia confessarii), de quo non est dubium inter theologos . . . In Pontificali Romano dicitur ante sacramentum confirmationis debere eos, qui habent conscientiam peccati, confiteri vel dolere de illo, quod sane Pontifex non diceret, si contritio non sufficeret." [1]) — Imo nec Eucharistiae praemitti debet confessio, si (a sacerdote) suscipi debet et confessarius non adest.

c. Quod ad alia sacramenta suscipienda Concilium Tridentinum non exigit, pro Eucharistia suscipienda praecipit, vel „quod dispensatio Eucharistiae pertinet ad ministros Ecclesiae, et ideo ante remissionem peccati per ministros Ecclesiae non debet aliquis ad Eucharistiam accedere, quamvis sit sibi culpa quoad Deum remissa" [2]); vel ob sacramenti Eucharistiae specialem reverentiam, utque securiore quo possumus modo ad augustissimum hoc sacramentum digne suscipiendum animos praeparemus. [3])

---

[1]) Lugo, Disp. 5 sect. 8.

[2]) S. Th. Suppl. q. 5 a. 1 ad 3.

[3]) Peccatorum confessionem iam *antiquitus* Eucharistiae sumptioni praemitti solitam ac necessariam existimatam fuisse innuitur 1 Cor. 11, ubi Apostolus duo exigit, „probationem" et „iudicium"; patet ex Doctrina Apostolorum: κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε προ(σ)εξομολογησάμενα τὰ παραπτώματα

COROLLARIUM. In N. T. ad peccatorum mortalium remissionem obtinendam praecipitur, ut per confessionem sacramentalem peccata potestati clavium, quae est in Ecclesia, subiiciantur. Ergo etiamsi peccata contritione perfecta iam deleta sunt, manet obligatio ea in confessione accusandi; imo per ipsam contritionem non iam remittuntur nisi cum aliqua dependentia ex confessione sacramentali, i. e. nisi *votum* adsit peccata confitendi. Iam vero hoc votum non minuit efficaciam contritionis, sed, ut loquitur Concilium Tridentinum, „in illa includitur". Virtus vero ipsa delendi peccata non tam huic voto tribuenda est, quam ipsi caritati seu contritioni ea informatae.[1])

Thesis 6.

Nullum est peccatum quod per poenitentiam veram deleri non possit.

Esau, Antiochus, Iudas leguntur quamvis poenitentes misericordiam consecuti non esse. Attamen non erat poenitentia eorum vera: proposuit enim Esau se fratrem occisurum; Antiochus dolebat de culpa praeterita non propter Dei offensam, sed propter infirmitatem corporalem, qua laborabat; Iudam absque spe veniae poenituit. Per *veram* poenitentiam peccata quaecunque dicimus dimitti. Vera porro poenitentia haberi nequit nisi quousque veniam sperare licet, i. e. in *praesenti vita.* Ipsi Montanistae et Novatiani, quamvis potestatem peccata omnia remittendi denegarent *Ecclesiae,* non tamen a Deo ipso in hac vita peccata per veram poenitentiam remitti infitiati sunt. Solus saeculo 14 *Richardus Armachanus* hoc negavisse videtur.

Thesim *de fide* esse censet Suarezius, utpote quae clare enuntietur a Conciliis Milevitano, Arausicano, Lateranensi IV, Tridentino.[2]) *Concilium Tridentinum* (Sess. 6 can. 29) sic habet: „Si quis dixerit, eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere . . . a. s."

DEMONSTRATUR: Per poenitentiam nullum est peccatum quod nequeat deleri.

1. Probatur ex *ratione theologica.*

ὑμῶν, ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ (Doctr. Ap. 14, 1); ex Barnabae epistola: ἐξομολογήσῃ ἐπὶ ἁμαρτίαις σου, οὐ προσήξεις ἐπὶ προσευχὴν ἐν συνειδήσει πονηρᾷ (Barnab. Ep. 19, 12); ex Cypriano: „Quale delictum est vel illorum qui admittunt vel eorum qui admittuntur, ut non ablutis per Ecclesiae lavacrum sordibus nec peccatis expositis (alibi exomologesin vocat) usurpata temere communicatione contingant corpus et sanguinem Domini, cum scriptum sit: Quicunque ederit indigne, reus erit?" (Cyprian. Ep. 75; cf. ep. 10.)

[1]) Cf. de tota hac quaestione, quae ad vitam christianam ac christifidelium instructionem summi est momenti, ‚Pastor bonus' 1895, 41 et 1897, 501 sq.

[2]) Suarez, Disp. 8 sect. 1.

„Quod aliquod peccatum per poenitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter: uno modo quia aliquis de peccato poenitere non posset; alio modo quia poenitentia non posset delere peccatum. Primo quidem modo non possunt per poenitentiam deleri peccata daemonum et etiam hominum damnatorum, quia affectus eorum sunt confirmati in malo, ita quod non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solum displicet eis poena quam patiuntur, ratione cuius aliquam poenitentiam, sed infructuosam habent, secundum illud Sap. 5, 3: «Poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes». Unde talis poenitentia non est cum spe veniae, sed cum desperatione. Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum et ad malum. Unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis poenitere non possit, erroneum est. Primo quidem quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo quia per hoc derogaretur virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cuiuscunque peccatoris ad poenitendum, secundum illud Prov. 21, 1: «Cor regis in manu Dei, et quocunque voluerit, vertet illud». Quod autem secundo modo non possit per veram poenitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum. Primo quidem, quia repugnat divinae misericordiae, de qua dicitur Ioel 2, 13, quod «benignus et misericors est et patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia»; vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundo quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam poenitentia operatur, sicut et cetera sacramenta, cum scriptum sit 1 Ioan. 2, 2: «Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum nostris, sed etiam totius mundi». Unde simpliciter dicendum est, quod omne peccatum in hac vita per poenitentiam veram deleri potest.“ [1])

2. Ex *Scriptura* et *Patribus* idem probatur.

„Misereris omnium . . . et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam“ (Sap. 11, 24). „Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, . . . omnium iniquitatum eius non recordabor“ (Ezech. 18, 21). „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis“ (Ioan. 20, 23). — Testimoniorum talium plenae sunt sacrae Scripturae; quorum plura afferuntur, ubi agitur tum generatim de voluntate Dei salvifica tum de gratia quae etiam peccatoribus datur copiosa.

„Omnibus delictis . . . qui poenam per iudicium destinavit Deus, idem et veniam per poenitentiam spopondit.“ [2]) „Peccasti? poeni-

[1]) S. Th. 3 q. 86.

[2]) Tertull. De poenit. 4.

tere. Millies peccasti? Millies poenitere.“ [1]) „Omnibus conversis (Ecclesia) pollicetur veniam, quia scriptum est: omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.“ [2]) „Neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia Dei desperanda est misericordia agentibus poenitentiam.“ [3]) „Medicum se vocat, et non sanis, sed male habentibus opportunum. Sed qualis esset hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum enim est centies infirmum visitare, centies curare.“ [4])

OBIICIUNTUR a Montanistis et Novatianis Scripturae loca aliqua, quibus non omnia peccata per poenitentiam remitti significari videtur.

1. „Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.“ (Matth. 12, 31 sq.)

Resp. „Peccatum in Spiritum Sanctum“ erat iuxta v. 24 quod „Pharisaei dixerunt: hic non eiicit daemones nisi in Beelzebub principe daemoniorum“, et iuxta locum parallelum Marc. 3, 29 sq. est „blasphemari in Spiritum Sanctum . . . quoniam dicebant: spiritum immundum habet“; atque adeo in eo est, quod ex malitia spiritui malo tribuuntur, quae a Spiritu Sancto divina fieri noscuntur, quae quidem „caecitas est non videre quod videas“ [5]). Iam vero hoc peccatum non quidem affirmatur remitti omnino non posse, sed non remitti; idque vel ideo, quia Christus praevidit eos qui illam blasphemiam commiserint, acturos non esse poenitentiam, vel etiam, quia Deus statuit permittere, ut nunquam vel fere nunquam poenitentiam agere velint. „Sicut aliquis dicitur morbus incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus posset curare: ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam inquantum excludit ea, per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praecluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.“ [6])

---

[1]) Chrysost. Hom. 2 in Ps. 50.

[2]) Ambros. De poenit. 2, 4.

[3]) Augustin. Enchir. 65.

[4]) De vera et falsa poenit. 5.

[5]) Pacian. Epist. 3, 15. — Ex variis Augustini locis sex species peccati contra Spiritum Sanctum vulgo vocantur: desperatio, praesumptio, impugnatio veritatis agnitae, invidentia gratiae, impoenitentia, obstinatio. Cf. Th. 2, 2 q. 14 a. 2. Verum Christi verbis haec non significantur.

[6]) S. Th. 2, 2 q. 14 a. 3.

2. „Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes“ (Hebr. 6, 4 sq.).

Resp. a. Apostolus videri poterit urgere difficultatem veniae obtinendae in casu apostasiae.

b. „De baptismo hoc intellexit. Dixit enim, eos renovari per poenitentiam impossibile esse, ut rursum crucifigant Filium Dei et ostentui habeant, i. e. ut iterum baptizentur: qui enim baptizatur, mortem crucis et sepulturam Christi repraesentat in immersione sua.“ [1]) — Confirmatur haec explicatio, quae communis est apud Patres, ex verbo „renovandi“ (ἀνακαινίζειν): „qui iam baptizati sunt, curari melius dicimus per poenitentiam, non renovari; quia renovatio in baptismate est.“ [2])

3. „Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quaedam expectatio iudicii et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios“ (Hebr. 10, 26 sq.).

Resp. a. „Voluntarie peccantes ex contextu („deserentes collectionem nostram“ v. 25) eos esse patet, qui a fide apostatae facti sunt, qui in apostasia manentes certe hostia pro peccatis carent.

b. „Non dixit: non est amplius poenitentia, non est amplius remissio; sed non est amplius hostia, h. e. non est amplius crux secunda.“ [3])

4. „Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis“ (1 Ioan. 5, 6).

Resp. a. Sermo est de impoenitentia finali: „si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.“ [4])

b. Agitur de peccato, quod speciali ratione principium vitae spiritualis destruat, qualis est apostasia; nec tamen prohibet Apostolus, quominus pro apostatis quis oret, sed tantum, ut quis oret, praesertim publice, non hortatur, idque vel quia, cum peccatum hoc nisi difficulter non remittatur (Hieronym.), non est fidelium omnium impetrare eiusdem remissionem (Ambros.), vel quia, cum tales preces

---

[1]) De vera et falsa poenit. 3.
[2]) Augustin. Expos. inchoat. ep. ad Rom.
[3]) Chrysost. Hom. 20 in ep. ad Hebr.
[4]) Augustin. 1 Retract. 19.

certo exaudiri minime sit promissum, pro istiusmodi peccatoribus cum illa, quam commendat Apostolus, fiducia intercedendi speciale praeceptum nullum iniungi potest.

SCHOLION **1.** Quaeri hic solet, utrum per poenitentiam *unum peccatum sine alio* queat remitti. Respondent, si sermo sit de potentia Dei ordinaria, i. e. de eo divinae providentiae ordine, in quo versamur, id fieri non posse. „Sunt plures, quos poenitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quaedam, in quibus delectantur, non animadvertentes, Dominum simul mutum et surdum a daemonio liberasse, per hoc docens, nos nunquam nisi de omnibus sanari.“ [1]) Et sane: „Impossibile est, per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti. Primo quidem quia peccatum remittitur, inquantum tollitur Dei offensa per gratiam . . . omne autem peccatum mortale contrariatur gratiae et excludit eam . . . Secundo quia peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, inquantum est contra Deum: quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus; ubi autem est eadem ratio, et idem effectus . . . Tertio quia hoc esset contra perfectionem misericordiae Dei, cuius perfecta sunt opera: unde cuius miseretur, totaliter miseretur.“ [2])

2. Quaeritur hic de *poena* peccati et de eiusdem *reliquiis.*

Ad *poenam* quod spectat, S. Thomas provocans ad 2 Reg. 12 ita disserit: „In peccato mortali sunt duo: scilicet aversio ab incommutabili bono, et conversio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo aversionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae, ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur. Ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, inquantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius poenae, quia inordinatio culpae non reducitur ad ordinem iustitiae nisi per poenam: iustum est enim, ut qui voluntati suae plus indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur; sic enim erit aequalitas. Unde Apoc. 18, 7 dicitur: «Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum». Quia tamen conversio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum, quod debeatur ei poena aeterna. Unde si sit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, inquantum per gratiam anima Deo coniungitur. Unde et per consequens simul tollitur reatus poenae aeternae; potest tamen remanere reatus alicuius poenae temporalis.“ [3]) — Est quidem passio Christi, in cuius virtute fit remissio peccati, ut loquitur idem Angelicus, „de se sufficiens ad tollendum omnem reatum poenae non solum aeternae, sed etiam temporalis“: at dum „in baptismo participat homo totaliter virtutem passionis Christi, in poenitentia consequitur virtutem passionis Christi secundum modum propriorum actuum.“ [4])

---

1) De vera et falsa poenit. 9.
2) S. Th. 3 q. 86 a. 3.
3) S. Th. 3 q. 86 a. 4.
4) S. Th. l. c. ad 3.

Reliquias vero peccati manere remisso peccato, illustrat S. Thomas ex exemplo caeci primo restituti ad imperfectum visum („video homines velut arbores ambulantes“ Marc. 8); hasque reliquias declarat esse dispositiones ex praecedentibus actibus effectas; remanere autem eas dicit „debilitatas et diminutas, ita quod homini non dominentur“ [1]).

3. Quae hactenus de poenitentiae efficacia dicta sunt, ad peccata mortalia spectant. De peccatis *venialibus* haec sunt tenenda:

1. Ut venialia deleantur, *non requiritur gratiae infusio.* „Unumquodque enim tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiae vel caritati, sed retardat actum eius, inquantum nimis inhaeret homo bono creato . . . Et ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur, quod infundatur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiae vel caritatis ad eius remissionem. Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, ideo quandocunque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur . . . Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem eius quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris aut debitae proportionis membrorum, alio modo per superinductionem alicuius impedientis decorem, puta luti aut pulveris: ita etiam animae inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiae, sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhaesio ad rem temporalem.“ [2])

2. Per se patet, venialia *non posse remitti sine mortali.* „Nam remissio culpae cuiuscunque nunquam fit nisi per virtutem gratiae . . . Ille autem, qui est in peccato mortali, caret gratia Dei . . . Licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiae, requiritur tamen aliquis gratiae actus, qui non potest esse in eo, qui subiacet peccato mortali.“ [3]) Nihil vero prohibet, quin unum veniale remittatur sine alio.

3. Plura enumerantur *media* tollendi peccata venialia, quorum omnium id commune est, ut adsit tum motus gratiae tum motus liberi arbitrii contra ipsum peccatum. De mediis his ita loquitur S. Thomas: „Triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum: Uno modo inquantum in eis *infunditur gratia;* quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata: et hoc modo per Eucharistiam et extremam unctionem et universaliter per omnia sacramenta Novae Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo inquantum sunt *cum aliquo motu detestationis peccatorum:* et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum; nam in oratione dominica petimus: «Dimitte nobis debita nostra». Tertio modo inquantum sunt *cum*

---

1) S. Th. l. c. a. 5.
2) S. Th. 3 q. 87 a. 2.
3) S. Th. l. c. a. 4.

aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas: et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.“ [1])

Quod denique *modum* efficiendi horum mediorum attinet, media a mediis discernere oportebit. Sacramenta, cum vim propriam ex sese habeant et operentur ex opere operato, motum liberi arbitrii in Deum et in peccata delenda nonnisi ut dispositionem necessariam supponere dicenda videntur; reliqua media propter illum motum operantur, sc. inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, ideoque ex opere operantis. De his reliquis vero mediis haec accipiantur a Suarezio: „Numerus horum mediorum non est quoad hunc effectum certa aliqua ratione aut auctoritate fundatus, et ideo non est inconveniens, quod posset augeri vel minui . . . Deinde dicitur triplici titulo aliquam actionem externam numerari inter haec remedia. Primus est, quia ex genere suo et ex modo, quo fit, habet adiunctum aliquem dolorem peccatorum vel significationem eius, ut confessio generalis vel tunsio pectoris. Secundus est propter specialem vim impetrandi remissionem peccatorum fundatam vel in aliqua promissione Dei seu locutione Scripturae, ut est in eleemosyna, vel in propria petitione, ut est in oratione dominica. Tertius est ob specialem impetrationem divini auxilii vel motionis fundatam in orationibus Ecclesiae, quae per specialem consecrationem vel benedictionem ad hunc effectum applicantur: et huiusmodi est aqua benedicta, quae propterea non utcunque operatur ex apprehensione sumentis illam.“ [2])

4. Quodsi quaeritur de reatu *poenae*, quem peccata venialia inducunt: „non per quodlibet praedictorum semper tollitur totus reatus poenae; quia sic, qui esset omnino immunis a peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim evolaret: sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum motum fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur, quandoque magis quandoque autem minus.“ [3])

5. Quaeritur denique, quomodo venialia tollantur *in altera vita*. Supponitur nimirum, aliquem mori in statu gratiae et cum peccato veniali, de quo nunquam doluit, imo in quo forte complacuit sibi tempore mortis. Poena remittitur per satispassionem; at culpa quomodo remittetur? „Aliqui recentiores volunt, remitti per meram condonationem extrinsecam sine aliqua dispositione vel dolore ex parte voluntatis . . . . Contraria sententia est communis et est expressa S. Thomae.“ Ita Lugo. [4]) Verba S. Thomae sunt haec: „Oportet dicere, quod venialia remittuntur iis post hanc vitam etiam quantum ad culpam eo modo, quo remittuntur in hac vita, sc. per *actum caritatis* in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit

---

[1]) S. Th. l. c. a. 3.

[2]) Suarez in l. c. S. Th. — Cf. quae in tractatu de sacramentis in genere dicta sunt de sacramentalibus.

[3]) S. Th. 3 q. 87 a. 3 ad 3.

[4]) Lugo, Disp. 9 sect. 2.

quidem impedimentum venialis culpae, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae sicut in hac vita."[1]) „Ratio autem desumi potest ex ipsa natura culpae. Durare enim culpam habitualem est durare fundamentum ad rationabilem indignationem Dei ratione offensae; haec autem indignatio inter alios fines ordinatur ex se ad resipiscentiam peccatoris, ut qui offendit ex iusta indignatione offensi advertat se male fecisse. Quamdiu ergo homo non habet huiusmodi resipiscentiam, videtur esse positive indispositus ad veniam . . . . quae quidem retractatio facillime elicitur ab anima separata *in ipso exitu a corpore*, concurrentibus tot tantisque motivis ad detestandam culpam, et cessantibus omnibus, quae in hac vita retardabant ab ea retractatione perfecte habenda."[2])

Thesis 7.

Peccata per poenitentiam remissa non redeunt, sive spectatur 1. reatus culpae sive 2. reatus poenae.

Quando de peccati remissi reditu sermo est, non de ipso actu peccati prioris quaeritur, qui certe nec redit unquam nec videtur posse redire, sed de sequela eius, sc. de *reatu* culpae et poenae. „In quaestionem vertitur, ita S. Thomas, utrum macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens. Quibusdam visum est, quod simpliciter redeant . . . Alii ponentes peccata redire dixerunt, quod Deus non remittit peccata poenitenti postmodum peccaturo secundum praescientiam, sed solum secundum praesentem iustitiam: praescit enim, se pro his peccatis eum aeternaliter puniturum, et tamen per gratiam facit eum praesentialiter iustum."[3]) Alia denique opinio fuit, non redire culpam nisi per graviora aliqua peccatorum genera.

DEMONSTRATUR: **1.** Non redeunt peccata quantum ad *culpam*.

1. Probatur ex *ratione theologica.* Duplex argumentum proponi potest, quorum alterum altero fulcitur; alterum est S. Bonaventurae, alterum S. Thomae:

„Constat culpam non deleri nisi per gratiam. Constat etiam ad praesentiam gratiae omnino deleri culpam: si enim gratia praesens est, culpa omnino deleta est. Quodsi deleta est, et iam non est, nec est qui faciat eam esse in anima: ideo non videtur esse probabile, quod propter aliquam conditionem deficientem culpa dimissa iterum redeat."[4])

---

[1]) S. Th. De malo q. 7 a. 2.

[2]) Lugo l. c. — Plura de hac quaestione leguntur apud Suarezium, Disp. 9 sect. 4.

[3]) S. Th. 3 q. 88 a. 1.

[4]) S. Bonav. 4 dist. 22 a. 1 q. 1.

„Si causa absolute ponatur, et effectus ponitur absolute. Si igitur non absolute fieret per gratiam peccatorum remissio, sed cum quadam conditione in futuro dependente, sequeretur quod gratia non esset sufficiens causa remissionis peccatorum: quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei. Et ideo nullo modo potest esse, quod macula et reatus praecedentium peccatorum redeant, secundum quod ex talibus actibus causabantur.“ [1])

2. Probatur ex *Ecclesiae sensu.* „Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.“ [2]) „Omnis homo, qui regeneratur in baptismo, tam a propriis peccatis quam ab originali absolvitur; sed relapsum post baptismum ad infidelitatem et impios mores qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur quam qui eundem asserit non aeterna morte esse damnandum. Qui enim recedit a Christo et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quae ei propter illa, quae remissa sunt, debebatur.“ [3])

2. Peccata non redeunt quantum ad *poenam.*

Atque hoc quidem ex iis, quae hucusque probata sunt, sponte fluere censeri potest. Fieri enim potest, ut simul cum culpa non omnis remittatur poena; at quae remittitur, non iam redibit: nam poena non debetur nisi propter culpam; si ergo poena remissa est ideoque non amplius debetur, nullo modo fieri poterit, ut eadem formaliter poena illius peccati, cui prius debebatur, iterum propter aliud peccatum debeatur.

OBIICITUR. 1. Deus revocat gratiam sanctificantem propter subsequens peccatum: ergo a pari poterit revocare veniam concessam peccato.

Resp. N. paritatem. Cum enim gratia, ut conservetur, exigat, ut homo cooperetur, homine peccante manere nequit; id quod locum non habet quantum ad veniam absolute concessam.

2. Si supponamus, post peccatum mortale remissum manere poenam temporalem adhuc luendam (vel peccata venialia), adveniente alio peccato mortali, in quo homo decedat, poena temporalis illa inferno, ideoque poena aeterna, punietur. Atqui hoc dicere absonum est, nisi dicatur reatus poenae aeternae priori peccato debitae redire. [4])

---

[1]) S. Th. 3 q. 88 a. 1.

[2]) Cap. ‚Divina‘ de poenit. dist. 4.

[3]) Prosper, Respons. 2 ad cap. Gallorum.

[4]) Ad poenam damnatorum *accidentalem* quod spectat, quaerunt, utrum possit mitigari. Iam vero distinguatur necesse est poena peccatis venialibus

Resp. a. Dici poterit cum aliquibus, poenam in inferno pro peccato mortali quantum ad reatum culpae remisso (vel pro peccatis venialibus) luendam non esse aeternam.

b. Concedatur, poenam illam fore aeternam: at cum „aeternitas poenae non respondeat quantitati culpae, sed irremissibilitati ipsius“ [1]), poena illa erit aeterna non vi illius peccati, sed per accidens, ratione sc. status, ideoque non formaliter redibit ut erat poena prioris peccati.

3. In Scriptura dicitur Deus peccatorum oblivisci eaque iterum in memoriam revocare; condonare veniamque revocare. Cf. 3 Reg. 17, 18; Ps. 78, 8; 108, 14; Matth. 18, 23 sqq.

Resp. Deus dicitur in memoriam revocare et punire peccata, quorum oblitus est, quatenus quin ea remitteret solum distulit poenam C; dicitur iterum punire peccata, quae iam remiserat Sbd. quatenus ob ingratitudinem specialem ideoque gravitatem maiorem peccati remissionem subsequentis peccatum hoc severius punit C; quatenus quod condonavit revocat N. — In parabola servi, qui conservi misereri noluit, distingui oportet ea, quae ad substantiam parabolae pertinent, sc. qui non dimittat proximo, ei nec a Deo ullum debitum remitti; et quae ad ornatum, sc. regem, priusquam novisset servum conservo non dimissurum, se ei dimisisse dicere.

4. Plures Patres, praesertim Augustinus, peccata iam remissa rursus posse imputari ac puniri asserunt. „Redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus docet de servo illo.“ [2]) „Si non dimiseris, revocabo, et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi.“ [3])

Resp. Audiatur Lugo et quae dicit sedulo in omnibus huiuscemodi difficultatibus prae oculis habeantur: „Omissa responsione Vasquezii, qui ingenue fatetur, Patres fuisse in contraria sententia, adhuc amplecti possumus explicationem communem. Possunt enim intelligi vel de reditu illo secundum quid, quatenus subsequens peccatum crescit ratione ingratitudinis, vel quatenus propter crudelitatem illam Deus permittit, hominem adaequare novis culpis cumu-

---

adhuc manentibus debita et poena debita peccatis iam remissis. Haec altera poena mitigari posse videtur; nam „non est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale poena inferna diminuatur usque ad diem iudicii, sicut etiam augetur“ (S. Th. 4 dist. 22 q. 1). Etiam illam priorem poenam mitigari posse contra S. Thomam (De malo q. 7 a. 10) opinatus est Scotus. At immerito. Tamdiu enim durabit poena, quamdiu durat culpa; at culpa venialis in damnatis nunquam remittetur. Erit igitur aeterna, attamen per accidens.

1) S. Th. 1, 2 q. 87 a. 5 ad 3.

2) Augustin. De bapt. 1, 12.

3) Augustin. Serm. 83, 6.

lum earum, quae iam ipsi dimissae fuerunt; quod sufficit, ut dicatur aliquo modo redire prius debitum. Neque enim, quando Patres acriter ad populum pro concione in peccata invehebantur, attendebant ad formalitatem scholasticam, ut explicarent formaliter, quomodo priora peccata redirent." [1])

SCHOLION. Quamvis nec peccatum nec eius poena per poenitentiam remissa redeant, cum tamen eo ipso, quod peccatum aliquod sequatur remissionem alterius, illud utpote maiorem involvens animi ingratitudinem isto sit quadantenus maius, ideoque maior quoque ei debeatur poena, tum prior culpa tum poena *secundum quid* redire dici possunt. Audiatur S. Thomas: „Contingit, quod sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati, inquantum scilicet aliquis homo secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat, secundum illud Rom. 2, 5: «Secundum duritiam tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae», ex hoc scilicet solo quod contemnitur Dei bonitas, quae ad poenitentiam expectat. Multo autem magis contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati secundo peccatum iteretur, quanto maius est beneficium peccatum remittere quam peccatorem sustinere. Sic igitur per peccatum sequens poenitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non inquantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis, sed inquantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid, inquantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur." [2])

Quodsi in omni peccato remissionem subsequenti huiusmodi reditus locum habet, speciali tamen ratione id obtinet in quatuor illis peccatorum generibus, quae sic recensentur: „Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri, Poenituisse piget: pristina culpa redit". Idque „non quidem, quia sint ceteris graviora, sed quia directius opponuntur beneficio remissionis peccatorum." [3])

Thesis 8.

Opera bona, peccato per poenitentiam deleto, reviviscunt.

Peccata per poenitentiam remissa per subsequens peccatum non redire audivimus. Quid de bonis operibus? — Opera nostra, si cum principio, a quo procedunt, et cum fine, ad quem perducunt, comparantur, alia sunt *mortua,* alia *viva.* Mortua sunt vel *„effective,* quia sc. sunt causa mortis spiritualis: et secundum hoc opera peccati dicuntur mortua"; alia dicuntur opera mortua *„privative,* sc. quia carent vita spirituali, quae est ex caritate, per quam anima Deo coniungitur ex quo vivit, sicut corpus per animam: et per hunc

[1]) Lugo, Disp. 10 sect. 1.
[2]) S. Th. 3 q. 88 a. 1.
[3]) S. Th. l. c. a. 2 ad 1.

modum . . . omnia opera, quae sunt bona ex genere, si sine caritate fiant, dicuntur mortua, inquantum sc. non procedunt ex principio vitae; sicut si dicamus sonum citharae vocem mortuam"[1]). Opera, quae effective mortua sunt, mortifera vocantur; ea, quae tantum privative sunt mortua, simpliciter mortua vocari solent. *Viva* ea opera sunt, quae procedunt ex caritate, vitae spiritualis principio, quaeque ad vitam perducunt aeternam. Opera haec viva per peccatum subsequens mortificari dicuntur et, quousque homo in statu peccati manet, opera *mortificata* vocantur. Quod quidem quid sibi velit, ita explicatur: „Res viva per mortem perdit operationem vitae: unde per quandam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur a suo proprio effectu vel operatione. Effectus autem operum virtuosorum, quae in caritate fiunt, est perducere ad vitam aeternam; quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit: et secundum hoc opera in caritate facta mortificari dicuntur per sequens peccatum mortale."[2])

Iam vero haec opera prius viva, per peccatum autem subsequens mortificata, licet fortasse non ex rei necessitate — posset enim Deus propter peccatum merita praecedentia reiicere —, certe tamen ex speciali divina misericordia per poenitentiam *reviviscere* atque ita reviviscere, ad meritum eorum quod spectat, ac si nunquam peccatum intervenisset, theologorum *sententia communissima* est.

DEMONSTRATUR: Opera bona mortificata *reviviscunt* per poenitentiam.

1. Ex *ratione theologica* seu rei natura probatur.

Audiatur S. Thomas, qui rem magis magisque declarando evincere studet: „Quidam dixerunt, quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per poenitentiam subsequentem, considerantes quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possint. Sed hoc impedire non potest, quin vivificentur; non enim habent vim perducendi in vitam aeternam (quod pertinet ad eorum vitam) solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et sancti de eis gaudebunt, secundum illud Apoc. 3, 11: «Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam». Sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse red-

---

[1]) S. Th. 3 q. 89 a. 6.

[2]) S. Th. l. c. a. 4.

ditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata per poenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam, quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata per poenitentiam reviviscunt.“ [1])

2. Ex *Ecclesiae sensu* probatur.

a. *Patres* omnes conveniunt, operibus bonis omnibus suum in coelis servari praemium. In verba Pauli (Gal. 3, 4): „Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa“ sic S. Hieronymus: „Quicunque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa passus fuisse dicitur dum peccat, sic rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem revertatur.“ Similiter in eundem locum Ambrosius, Chrysostomus, Teophylactus. Auctor libri ‚de vera et falsa poenitentia‘: „Timeat, ne omnia bona, quae fecit, dum in uno peccato perseveraverit, ex contaminatione mali perdiderit, ut qui servivit diabolo per crimen, Dei quam obtulit amiserit servitutem. Pium est tamen credere, ut recepta Dei gratia, quae in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona: ut cum destruxerit quod suum non invenit, amet et diligat bonum quod etiam in peccante plantavit.“ [2])

b. *Concilium Tridentinum* (Sess. 6 cap. 16 et can. 32) provocando ad verba Apostoli, „abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino“ (1 Cor. 15, 58) et „non enim iniustus est Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius“ (Hebr. 6, 10), nihil aliud ad vitam aeternam operibus promerendam requiri declarat, quam quod sint opera in Deo facta et quod qui ea fecit in gratia decedat. Atqui haec obtinent plenissime, etiamsi operibus illis peccatum postea per poenitentiam delendum successerit.

OBIICITUR. 1. „Sicut per poenitentiam subsequentem remittuntur peccata praeterita, ita etiam per peccatum sequens mortificantur opera prius in caritate facta; sed peccata dimissa per poenitentiam non redeunt: ergo videtur, quod etiam opera mortificata per caritatem non reviviscant.“ [3])

Resp. „Opera peccati per poenitentiam abolentur secundum se, ita scilicet quod ex eis ulterius Deo indulgente nec macula nec reatus inducatur; sed opera in caritate facta non abolentur a Deo,

---

[1]) S. Th. 3 q. 89 a. 5.
[2]) De vera et falsa poenit. 29.
[3]) S. Th. l. c.

in cuius acceptatione remanent, sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis, et ideo remoto impedimento, quod est ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte sua illud, quod opera merebantur." [1])

2. Apud Ezech. 18, 21 sq. sicut de peccatore Deus affirmat, quod, „si poenitentiam egerit, omnium iniquitatum eius non amplius recordabitur", ita de iusto idem Deus asserit: „si is se averterit a iustitia sua, omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur." Ergo merita non magis redeunt quam peccata.

Resp. Iuxta prophetam merita non redeunt nec eum qui ea acquisivit quidquam iuvant, quousque, id quod supponit propheta, in peccato perseverat, nec unquam redeunt, si in praevaricatione sua moritur C; merita non redeunt, si peccator ad Deum redit Sbd. reditus hic non asseritur a propheta C, ab eo negatur N.

COROLLARIUM. Ex dictis colligitur, poenitentiam respectu reviviscentiae se habere non quidem ad instar dispositionis ita ut, quemadmodum aliqui opinati sunt, pro maiori minorive poenitentia plus minusve praecedentium meritorum reviviscat, sed simpliciter ut *removens* prohibens: removens sc. peccatum, quod ne „merita sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam prohibet" [2]).

Colligitur quoque, opera reviviscere non solum ad praemium aliquod accidentale in eo v. g. consistens, quod de operibus illis beati in coelo maius dumtaxat experiantur gaudium, sed reviviscere ad *omne praemium* illud, quod prius merebantur.

Colligitur denique, peccato per poenitentiam deleto, cum merita reviviscant, merita vero nihil sint aliud quam ius ad gloriam, quod quidem ius in gratia fundatur atque amicitia divina, una cum meritis reviviscere quoque pristinam mensuram *gratiae* et divinae amicitiae; atque adeo, cum poenitentia ipsa, qua illa recuperantur, sit opus bonum ac gratiam conferens, peccatorem, qui peccati poenitentiam egerit, maiorem habere gratiam, quam habuerit, priusquam peccaret. — „Nec ex hoc sequitur, eum esse melioris conditionis quam si non peccasset. Si enim non peccasset, habuisset praemium eorum omnium operum, quae fecit quamdiu erat in statu peccati, quae tamen nunquam ad praemium illi proderunt beatitudinis aeternae, cum fuerint opera mortua." [3])

Quaeritur tandem universe, utrum necne homo per poenitentiam restituatur in *pristinam dignitatem.* Respondet S. Thomas: „Homo per peccatum duplicem dignitatem amittit, unam quantum ad Deum, aliam vero quantum ad Ecclesiam. Quantum autem ad *Deum* amittit duplicem dignitatem. Unam principalem, qua scilicet computatus erat inter filios Dei per *gratiam.* Et hanc dignitatem recuperat per poenitentiam, quod significatur Luc. 15 in filio

---

[1]) S. Th. l. c. ad 1.
[2]) S. Th. l. c.
[3]) Lugo, Disp. 11 sect 3.

prodigo, cui poenitenti pater iussit restitui stolam primam et annulum et calceamenta. Aliam vero dignitatem amittit secundariam, scilicet *innocentiam*, de qua, sicut ibidem legitur, gloriabatur filius senior dicens: «Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum praeterivi». Et hanc dignitatem poenitens recuperare non potest; recuperat tamen quandoque aliquid maius, quia, ut Gregorius dicit, qui errasse a Deo se considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo gaudium de eis fit in coelo, quia et dux in praelio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga praebuit, et nunquam aliquid fortiter fecit. Dignitatem autem *ecclesiasticam* homo per peccatum perdit, quia indignum se reddit ad ea quae competunt dignitati ecclesiasticae exercendae, quam quidem recuperare prohibetur: uno modo quia non poenitet; secundo quia poenitentiam negligenter facit . . . .; tertio si commisit aliquod peccatum, quod habet irregularitatem annexam . . .; quarto propter scandalum." [1])

Articulus III.

De necessitate virtutis poenitentiae.

Quoniam quae de necessitate virtutis poenitentiae dicenda sunt partim iam continentur iis testimoniis, quibus poenitentiam virtutem eamque iustitiae speciem esse ostendimus, partim iis quibus sacramenti poenitentiae necessitatem declarabimus, hic multum immorari necesse non est.

Thesis 9.

Ut peccatum actuale remittatur, poenitentia eius 1. est necessaria necessitate tum medii tum praecepti; et quidem 2. per se poenitentia formalis.

Quaestio est de potentia Dei ordinata, i. e. de praesenti rerum ac providentiae ordine. Catholici omnes fatentur virtutis poenitentiae actum, nulla habita ratione discriminis motivorum eius, i. e. aliquam peccatorum commissorum detestationem et ex rei natura et ex divino praecepto esse medium necessarium ad peccatorum actualium veniam obtinendam. Disputant, utrum actus iste debeat esse poenitentia formalis, an sufficiat virtualis, i. e. illa quae in amore Dei et virtutis velut in germine comprehendatur. *Scotus* et alii poenitentiam *virtualem* sufficere censent. *Melchior Canus* et qui Thomistae vocantur fere omnes contendunt, sine poenitentia *formali* peccatum remitti non posse, etiamsi peccator perfecta caritate Deum

[1]) S. Th. 3 q. 89 a. 3.

diligat. Alii cum *Suarezio* mediam ingredientes viam melius dicunt, *per se* loquendo formalem poenitentiam i. e. explicitam peccati detestationem esse necessariam, *per accidens* vero, i. e. si peccati praeteriti memoria non occurrat, ad iustificationem sufficere actum perfectum caritatis, quatenus virtualiter eo contineatur ipsa poenitentia. [1]) Sed prius de poenitentiae universe sumptae necessitate dicemus.

DEMONSTRATUR: **1.** *Necessaria* est poenitentia.

1. Necessitate *medii*.

a. Ex *ratione theologica* probatur.

Necessaria est ad salutem necessitate medii remissio peccati commissi. Atqui ad remissionem peccati commissi in praesenti saltem ordine necessaria est necessitate medii poenitentia. Et sane:

„Impossibile est, peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti loquendo de poenitentia, quae est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directe opponitur gratiae; ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus quod repellit eum a gratia sua. Hoc interest inter gratiam Dei et gratiam hominis, quod gratia hominis non causat, sed praesupponit bonitatem veram vel apparentem in homine grato; sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quae in nomine gratiae intelligitur, est causa omnis boni creati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam, qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis eius; non autem contingere potest quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinae offensae, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis praedictae et proposito emendandi; quod pertinet ad rationem poenitentiae, secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine poenitentia, secundum quod est virtus.“ [2])

b. Ex *fidei deposito* probatur.

Tum in Scriptura tum apud Patres propositionibus et affirmantibus et negantibus poenitentia exhibetur ut dispositio eaque prorsus necessaria remissionis peccatorum obtinendae.

In *Scriptura* haec leguntur: „Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis . . , vita vivet et non morietur“ (Ezech. 18, 21 sq.). „Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis“

---

1) Cf. Suarez, De poenit. disp. 9.

2) S. Th. 3 q. 86 a. 2.

(Luc. 13, 5). „Age poenitentiam et prima opera fac; sin autem, venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris“ (Apoc. 2, 5).

Ex *Patribus* audiantur hi pauci: „Peccatum non tollitur nisi lacrimis et poenitentia.“ [1]) „Hanc confusionem non formidet christianus; imo si hanc non habuerit, aeternam habebit.“ [2]) „Ventura ira est animadversio ultionis extremae, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta poenitentiae non recurrit.“ [3])

Quamobrem *Concilium Tridentinum* (Sess. 14 cap. 1) docet: „Fuit poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria etc.“

2. Necessitate *praecepti*.

Et sane: poenitentia ita peccatori est necessaria ad salutem, ut sine ea salus haberi non possit. Atqui quemadmodum ad salutem nobis procurandam lege obligamur, ita etiam obligamur ad id sine quo salus haberi nequit; qui enim vult finem, media quoque necessaria ut velit necesse est. Quod praeterea allatis Scripturae testimoniis, ubi haud raro imperativa forma occurrit, contineri manifestum est.

Cuiusmodi vero sit hoc praeceptum, ex hisce perspicietur. „De iure naturali est, quod aliquis poeniteat de malis, quae fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse et doloris remedium quaerat per aliquem modum et quod etiam aliqua signa doloris ostendat . . . Sed sicut alia, quae sunt de iure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis divinae: ita etiam et poenitentia“; et quidem, „secundum quod congruit imperfectioni veteris Legis et perfectioni novae Legis.“ [4])

2. Per se poenitentia *formalis* requiritur; per accidens *virtualis* sufficit.

Scripturae, Patres, Concilia necessitatem poenitentiae, doloris, tristitiae, gemitus praedicant. Atqui verba haec, quae sensu sane obvio et proprio accipi debent, sensu obvio et proprio poenitentiam formalem significant.

Sufficere vero poenitentiam virtualem in casu, quod peccatum e memoria exciderit, ita ostendi posse videtur. Potest peccator, peccati sui nescius, actum perfectae caritatis elicere; atqui actus hic peccatorem procul dubio immediate iustificat. Et sane: quae

---

[1]) Ambros. Epist. 51, 7.
[2]) Augustin. In Ps. 30 en. 2, 5.
[3]) Gregor. M. Hom. 20 in Evang.
[4]) S. Th. 3 q. 84 a. 7 ad 1 et ad 2.

adultis necessaria sunt necessitate medii, ita necessaria sunt, ut possint haberi aut in re aut in voto; atqui actus caritatis implicite saltem continet votum detestationis peccati.

SCHOLION **1.** Necessaria est poenitentia ita, ut nullum in adultis deleatur peccatum absque poenitentia. Ergo *universalis* esse debet poenitentia de peccatis commissis omnibus. „Peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum inquantum est contra Deum; quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem est eadem ratio, et idem effectus. Unde non potest esse vere poenitens, qui de uno peccato poenitet, et non de alio.“ [1]) — Verum per se liquet, aliam esse poenitentiam, quae requiratur ad delenda peccata *mortalia*, aliam quae exigatur ad delenda *venialia*. Audiatur S. Thomas: „Exigitur ad remissionem peccati mortalis perfectior poenitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur; sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum . . . . requiritur quaedam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret; quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.“ Quod speciatim *propositum* attinet, aliud respectu mortalium, aliud respectu venialium, ita pergit idem S. Thomas: „Poenitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus; sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitae non patitur. Debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia.“ [2])

2. Quaeri solet de *tempore*, quo obliget poenitentiae praeceptum. Atque haec hac de re animadvertisse sufficiat. „Actu quidem impossibile est, quod homo continue poeniteat, quia necesse est, quod actus poenitentis sive interior sive exterior interpoletur ad minus somno et aliis, quae ad necessitatem corporis pertinent. Secundum habitum oportet, quod homo continue poeniteat et quantum ad hoc quod homo nunquam aliquid contrarium poenitentiae faciat, per quod habitualis dispositio poenitentis tollatur, et quantum ad hoc quod debet homo in proposito gerere, quod semper sibi praeterita peccata displiceant.“ [3])

---

1) S. Th. 3 q. 86 a. 3.
2) S. Th. 3 q. 87 a. 1.
3) S. Th. 3 q. 84 a. 9.

Caput II.

De poenitentiae sacramento.

Pluribus apud Patres poenitentiae sacramentum reperimus insignitum *nominibus.* Vocatur *poenitentia,* quia omnes huius sacramenti partes poenam includunt: contritio dolorem, confessio ruborem, satisfactio laborem; vocatur respectu baptismi *secunda purgatio* et *lavacrum lacrimarum* (Naz.), *iterabilis baptismus* (Augustin.), *secunda post naufragium tabula* (Tertull., Hieron., Ambros.); ex effectu dicitur *reconciliatio;* ex ritu praesertim solemni in publica poenitentia adhiberi solito et fortasse ex ceremonia hirci pro peccatis immolandi (Lev. 16) derivato *manus impositio* (Conc. Carth. III, Cyprian.); ex actu aliquo poenitentis praecipuo sacramentum *confessionis* (Cyprian.); ex actu denique sacerdotis peccata remittentis sacramentum *absolutionis,* quod tamen nomen caute erit adhibendum, ne haereticis, qui absolutionem solam totum volunt esse sacramentum, favere videamur.

Summa capita *doctrinae catholicae* de sacramento poenitentiae breviter enuntiavit Concilium Florentinum (Decret. pro Armenis) his verbis: „Quartum sacramentum est poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio: ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio: ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis: quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium et eleemosynam. Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo etc. Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris. Effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis.“

Universam doctrinam hisce comprehensam plene absolvisse nobis videbimur, si egerimus tum de sacramenti poenitentiae *existentia* seu veritate, tum de eiusdem *essentia,* sc. de ministro, forma, materia; quibus appendix addetur de *indulgentiis.*

Articulus I.

De sacramenti poenitentiae existentia.

Ut et contra quos agatur et quanti momenti res sit bene intelligatur, tum haereticorum in hac re errores tum quam contra eos Ecclesia statuit doctrinam breviter proponemus.

Montanistae saec. 2, teste Tertulliano ipso Montanista, graviora crimina, „homicidium, idololatriam, negationem, blasphemiam, moechiam et fornicationem, et si qua alia violatio templi Dei“ [1]), ab Ecclesia remitti posse negaverunt. *Novatiani* saec. 3 primo quidem iis, qui in persecutione lapsi erant, deinde etiam aliis graviter delinquentibus veniam nullam concedi posse statuerunt.[2]) Hi igitur omnes „humanae naturae et infirmitatis immemores et immisericordem Deum praedicantes peccatis (gravioribus) poenitentiam et veniam et solatium non relinquunt“ [3]); dicentes, „se Domino deferre reverentiam cui soli remittendorum criminum potestatem reservent“ [4]). — Montanistas damnavit S. Zephyrinus vel Callistus Papa, teste ipso Tertulliano, qui ita scribit: „Audio edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex scilicet Maximus, quod est, episcopus episcoporum edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.“ [5]) Novatianos condemnavit, teste Eusebio, S. Cornelius Papa in Synodo Romana a. 251.

Poenitentiam sacramentum esse, omnium primi infitiati sunt *Protestantes*. Quamvis enim Lutherus initio libri ‚de captivitate Babylonica‘ tria enumeret sacramenta, „baptismum, poenitentiam, panem“, et quamvis Apol. Aug. c. 7 se absolutionem, quae est sacramentum poenitentiae, inter sacramenta recensere protestetur, re tamen vera poenitentiam sacramentum verum a baptismo distinctum illi non agnoscunt. „Poenitentiae sacramentum, ita Lutherus circa finem libri ‚de captivitate Babylonica‘, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi, quam viam ac reditum ad baptismum.“ „Sacramentum eius, ita Melanchthon, vel signum non aliud nisi baptismus est; atque hic omnium

---

[1]) Tertull. De pudic. 19.

[2]) Novatiani primi seipsos καθαροί „quasi propter munditiam superbissime atque odiosissime nominabant, quia sc. a communione malorum, ne inquinarentur, abstinebant; qui nomen suum si voluissent agnoscere, mundanos se potius quam mundos vocassent“ (Augustin. De haeres. 38; de agon. chr. 2).

[3]) Hilar. In Ps. 103.

[4]) Ambros. De poenit. 1, 2.

[5]) Tertull. De pudic. 1.

rectissime vocatur sacramentum poenitentiae." [1]) Similiter Calvinus, Zwinglius, Protestantes usque ad hodiernum diem omnes. Atque haec quidem reliquis eorum erroribus consentanea sunt. Ex praeiacta enim doctrina, vi solius fidei per baptismum excitatae peccata remitti, et peccata actualia nihil aliud esse quam manifestationes et emanationes peccati originalis, pronum omnino erat concludere, poenitentiam, qua peccata actualia remittantur, si sacramentum vocetur, aliud non esse sacramentum quam ipsum baptisma vel recordationem eius. Quocirca verba quoque illa, quibus Christus Ecclesiae peccata remittendi potestatem tribuit, de sola potestate evangelium praedicandi vel baptismi conferendi vel etiam poenitentibus veniam peccatorum annuntiandi intelligenda esse docuerunt.

Contra hos haec statuit *Concilium Tridentinum* (Sess. 14):

Can. 1. „Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: a. s."

Can. 2. „Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: a. s."

Can. 3. „Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt: non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem praedicandi evangelium: a. s."

Quae hisce definiuntur, probata erunt atque sacramenti poenitentiae veritas erit manifesta, si probaverimus, Christum Ecclesiae suae dedisse potestatem fidelibus peccata remittendi, huic potestati omnia peccata mortalia debere subiici, eam porro potestatem esse iudicialem exercitio denique huius potestatis contineri verum proprieque dictum sacramentum: id quod his thesibus praestabitur.

Thesis 10.

Ecclesiae est potestas perpetua fidelibus peccata quaecunque remittendi.

Ad errores modo recensitos et si qui alii hac in re excogitari possunt refellendos thesis haec spectat. Asseritur Ecclesiae potestas

---

[1]) Melanchth. Loc. comm.

remittendi *peccata*, i. e. non solum poenas, quae peccatis debentur, sed ipsam etiam culpam. Peccata porro, quorum remittendorum Ecclesiae potestas tribuitur, non tantum sunt aliqua, sed *quaecunque* potuerint committi. Potestas vero ipsa, quam Ecclesiae vindicamus, affirmatur esse non solum potestas declarandi peccata a Deo esse remissa, sed potestas quam ipsa habeat Ecclesia vere peccata *remittendi*. Quodsi circa quosnam quaesieris potestas haec versetur, hos non solum infideles esse dicimus, verum etiam *fideles*, ideoque potestatem illam non solum in sacramento baptismi exerceri, sed etiam circa peccata post baptismum admissa. Ne tandem Apostolis solis potestatem illam suspiceris esse collatam, ita quidem ut mortuis ipsis expiraverit, eam Ecclesiae *perpetuo* duraturam factam esse probabimus. Atque haec quidem de potestate Ecclesiae peccata remittendi singillatim demonstranda erunt. Vindicantes vero potestatem huiusmodi, eam, quod iam per se liquet, non aliunde Ecclesiae obvenisse, sed ab ipso *Christo* Domino ei collatam esse ostendemus; collatam vero, ut Concilium Tridentinum *definivit* (can. 3), verbis illis sollemnissimis Ioan. 20, 22 sq.: „Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt."

Potestas remittendi peccata *potestas clavium* vocatur. Latiore sensu potestas clavium omnem quam Christus suae Ecclesiae tradidit potestatem significat, sive ea exerceatur in foro interno sive in foro externo. Derivatus est hic modus dicendi ex verbis Christi apud Matth. 16, 19, ubi tamen nomine clavium regni coelorum potestas intelligitur in Ecclesia suprema et independens, prout est in Petro.

DEMONSTRATUR: **1.** Ecclesia habet potestatem ipsam *culpam* remittendi.

In evangelio haec leguntur (Ioan. 20, 21 sq.): „Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt."

Vox ‚peccati' in Scripturis significat vel culpam, vel poenam pro culpa luendam, vel sacrificium pro culpa ferendum. Atqui Ioan. 20, 21 non significat sacrificium pro peccato: peccata enim dicuntur remittenda. Nec significat poenam pro peccato luendam; aut si eam significat, ita significat eam, ut culpam necessario includat, imo ut potissimum exhibeat culpam. Et sane:

1. *Sensu obvio* vox ‚peccati' sicut graecum ἁμαρτία (a scopo vel a via aberrare) et hebraicum חַטָּאת et אָשָׁם culpam et delictum significat.

2. Ex *textu* idem consequitur. Si solum poena significaretur, intelligenda foret vel poena aeterna vel poena temporalis; atqui in-

telligi nequit poena temporalis, quoniam peccata, quorum remittendorum datur potestas, ita dicuntur remitti, ut possint etiam retineri quin unquam remittantur (κεκράτηνται), id quod poenae temporali repugnat; neque sola poena aeterna intelligi potest, haec enim sine culpa remitti nequit, remissa vero culpa poena aeterna citra aliam remissionem remissa dicenda est.

3. Ex *contextu* eruitur. Confertur potestas iis, qui sunt Christi Redemptoris cooperatores in opere hominum redimendorum et sanctificandorum, eaque, ut patet ex verbis „sicut misit me Pater, et ego mitto vos“, et ex communicatione Spiritus Sancti et ex symbolo insufflationis, similis prorsus potestati, quam habebat Christus ipse. Atqui huiusmodi potestas, cum peccatorum remittendorum dicitur, quaque Christus se Deum esse probaverat, culparum est remittendarum.

4. Ex *Patrum interpretatione* idem comprobatur. „Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est; sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in coelis; et quaecunque solveritis in terris, soluta erunt et in coelis?“ [1]) „Aiunt (Novatiani) se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli maiorem iniuriam faciunt, quam qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in evangelio suo dixerit Dominus Iesus: accipite etc.: quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit?“ [2]) „Qui terram incolunt atque in ea versantur, his commissum est, ut ea, quae in coelis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: quaecunque alligaveris in terra, erunt alligata et in coelo; et quaecunque solveris etc. Habent enim et terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit atque ad coelos usque pervadit usque adeo, ut quaecunque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum coelestium potestatem illis a Deo concessam? Quorumcunque, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quaenam, obsecro, potestas hac una maior esse queat? Pater omnifariam potestatem Filio dedit. Ceterum video ipsam eandem omnifariam potestatem a Deo Filio illis traditam.“ [3])

---

[1]) Pacian. Ep. ad Sympron. 1, 6.
[2]) Ambros. De poenit. 1, 2.
[3]) Chrysost. De sacerd. 3, 5.

2. Non solum aliqua peccata remittendi potestatem Ecclesia habet, sed peccata *quaecunque.*

1. Christus verbis „sicut misit me Pater etc." satis clare ostendit, eum esse ambitum potestatis peccatorum remittendorum, quam confert Apostolis, qui est potestatis illius quae competit sibi ipsi. Atqui potestas Christi peccata remittendi ea est, ut nullum omnino sit peccatum, quod ab ipso nequeat remitti. Cfr. th. 5.

2. Christus peccata remittendi Ecclesiae faciens potestatem nullum prorsus excipit peccatum. Atqui nullum peccatum excipiendo satis declaravit nullum esse exceptum, quia, si ullum voluisset esse exceptum, id, ne Ecclesia potestatis suae limites praetergrederetur, dicere debuisset.

3. Non solum non excipitur a Christo peccatum ullum, sed verba etiam, quibus utitur, tam sunt ampla, tam universalia, ut nullam plane circumscriptionem pati dicenda sint; dicit enim: ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας i. e. quorumcunque remiseritis peccata quaecunque.

4. Potestas remittendi retinendique peccata, quam propriam factam esse Ecclesiae constat, cum sit quaedam vinculum aliquod morale solvendi ligandique potestas, ut species in genere in hac solvendi ligandique potestate continebitur, et tam late patebit quam late patet ipsa haec solvendi ligandique potestas; atqui potestas haec, quemadmodum apud Matth. 16, 19 et 18, 18 declaratur (ὃ ἐὰν δήσῃς, ὃ ἐὰν λύσῃς; ὅσα ἐὰν δήσητε, ὅσα ἐὰν λύσητε), universalissima prorsus est nullamque exceptionem admittens.

5. Quod luculenter comprobatur exemplo *Pauli* et *Ioannis* Apostolorum. Paulus Corinthium incestuosum excommunicavit, tradens „satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit" (1 Cor. 5, 5), et postmodum emendatum rursus reconciliavit obsecrans Corinthios, ut, „ne forte abundantiori tristitia absorbeatur", confirment „in illum caritatem" (2 Cor. 2, 7 sq.). Ioannes Apostolus a Clemente Alexandrino narratur adolescentem quendam, qui dux latronum et homicidii reus evaserat, poenitentia peracta et Deo et Ecclesiae restituisse. [1])

6. Quod idem *Patres* testantur. „Quaecunque solveritis, inquit; omnino nihil excepit; quaecunque, inquit, vel magna vel modica." [2]) „Miror quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis poenitentiam aut poenitentibus existiment veniam denegandam." [3])

---

1) Clem. Alex. Quis dives 42.
2) Pacian. Ep. ad Sympron. 3, 12.
3) Cyprian. Epist. 55, 22.

„Distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda a vobis putetis, et quae sine remedio esse arbitremini; sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.“ [1]) „Fuerunt qui dicerent, quibusdam peccatis non esse dandam poenitentiam, et exclusi sunt de Ecclesia et haeretici facti sunt. In quibuscunque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia.“ [2]) „Cognovimus poenitentiam morientibus denegari nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet. Quid hoc, rogo, aliud est quam morienti mortem addere eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere, cum Deus ad subveniendum paratissimus invitans ad poenitentiam sic promittat: peccator quacunque die conversus fuerit etc.“ [3]) „De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua et canonica servetur; ut si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico non privetur. Quod si desperatus aliquis accepta communione supervixerit, sit inter illos, qui in oratione sola communicant, donec statutum tempus compleatur. Generatim vero et nullo excepto, quolibet excedente et Eucharistiam flagitante, episcopus cum probatione impertiatur.“ [4])

3. Potestas Ecclesiae facta non est solum potestas declarandi peccata a Deo esse remissa, sed potestas peccata vere *remittendi.*

Audiatur imprimis Richardus Victorinus, Protestantium explicationem in antecessum ita exagitans: „Exstat quorundam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola, ut ridenda potius videatur quam refellenda. Putant enim et praedicant, sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed numquid Dominus dicit: Quodcunque ligatum ostenderitis, erit ligatum; et quodcunque solutum ostenderitis, erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat. Quorum remiseritis, inquit, peccata, non quorum remissa ostenderitis, remittuntur eis.“ [5]) Atque vere:

1. *Sensus obvius* vocis remittendi (solvendi) non solum declarationem remissionis factae, sed ipsam veram remissionem significat. Qui sensus obvius etiam *contextu* flagitatur.

---

[1]) Ambros. De poenit. 1, 3.
[2]) Augustin. Sermo 352, 9.
[3]) Coelestin. Ep. 4 ad episc. Vienn.
[4]) Conc. Nic. I can. 13.
[5]) Rich. Vict. De pot. ligandi 12.

2. Ubi enim in apodosi occurrit vox remittendi („remittuntur eis"), ea non meram remissionis declarationem significat, sed remissionem veram: ergo eodem sensu in protasi sumenda est, nisi forte ibi hic sensus absonus probetur.

3. Talis porro potestas verbis Christi exhibetur, cuius auctor Spiritus Sanctus est („accipite Sp. S."), et ad quam exercendam Christus ipse a Patre erat missus („sicut misit me Pater etc."); atqui haec est sane potestas vere remittendi peccata.

4. Praeterea Christus dixit: „quorum remiseritis, remittuntur eis" (ἀφέωνται = tempus perfectum, quo eventus certus exprimitur); atqui exhibetur hic eiusmodi nexus consecutionis immediatus inter remissionem ab Apostolis faciendam et remissionem Dei, ut illa istius declaretur esse causa: ergo vera est remissio.

5. Quodsi demum Apostolis non alia esset potestas quam declarandi peccata remissa esse a Deo, a. nonne Christus dicere debuisset potius: quorum peccata remittetis, remissa fuerunt, b. undenam Apostoli, ut declarent peccata remissa, peccata vere a Deo remissa esse scient, c. quae erit tam magna illa tamque sollemniter annuntiata Apostolorum potestas, quae eiusdem denique fidelibus utilitas?

6. Ex *Patribus* suffecerit unus. „Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare Iudaeorum sacerdotibus solis licebat. Neque nescis, quanta cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero nostris sacerdotibus non corporis lepram, sed animae sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est." [1])

7. Hinc *Concilium Tridentinum* (Sess. 14 cap. 6) haec docet: „Quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntiatur." Hinc damnata est ab Ecclesia haec (58) propositio *Baii:* „Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur."

4. Potestas a Christo Ecclesiae facta etiam *fidelium* peccata spectat, ideoque alia est a sola facultate baptizandi. Quod facile efficitur:

---

[1]) Chrysost. De sacerd. 3, 6.

1. Christus potestatem remittendi peccata, quam Apostolis suis confert, minime circumscripsit potestate baptizandi: ergo nec nobis eam circumscribere licebit.

2. Imo cum baptizandi potestatem aliis omnino verbis (Matth. 28, 19) declaret ipsum baptizandi ritum quoque innuens, hic cum certe magnam aliquam potestatem conferat, ritus nullius mentionem faciens aut aliam prorsus a potestate baptizandi aut ea ampliorem potestatem tribuere dicendus erit.

3. Verba, quibus utitur Christus, tantae amplitudinis sunt, ut potestas iis collata peccata quaecunque et peccatores quoscunque respicere dicenda sit, ideoque peccata quoque hominum baptizatorum.

4. Eadem hic remittendi et retinendi describitur potestas; atqui potestas baptizandi non est potestas retinendi peccata: poterit enimvero quis negare baptismum ideoque negare remissionem peccati, at negatio huiusmodi non erit actus potestatis baptizandi, sed actus hominis, qui potestate, qua pollet, uti aut non uti potest.

5. Quoniam denique potestas hic collata duplex, ut rite exerceatur, i. e. pro meritis rei remittat peccata vel retineat, prout infra distinctius videbimus, cum cognitione causae exerceri debet, aliis verbis, potestas iudiciaria est; at potestas baptizandi non est iudiciaria.

6. Idem praedicant *Patres*. „Sed poenitenti, inquies, peccata dimittis, cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi sane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum et poenitentium lacrimas non repellit. Ceterum quod ego facio, id non meo iure, sed Domini: Dei sumus adiutores." „Quodsi ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam, multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille, quem fidei iura tenuerunt." [1])

5. Potestas peccata remittendi collata est non solum Apostolis, sed Ecclesiae *perpetuo* duratura.

Quod quidem manifestissimum est et omnino concedendum ab omnibus, qui hactenus probata admittunt. Et sane:

1. Potestas, quam Christus tam magnificis verbis confert peccata remittendi quaecunque, ad ipsam Ecclesiae suae intimam essentiam spectare dicenda est; at cum Ecclesia perennis sit, iura quoque et munera huiusmodi perennia sint oportet.

2. „An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet et Spiritum S. dare solis et solis gentium peccata purgare,

---

[1]) Pacian. Ep. ad Sympron. 3, 7 et 11.

quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. Quodsi uno in loco et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex Apostolorum forma et potestate deductum est, aut nec illud ex decretis relaxatum est." [1]) Bene igitur Tertullianus: „Si adhuc clausum putas coelum, memento, inquit, claves eius Dominum Petro et per eum Ecclesiae reliquisse, quas hic unusquisque interrogatus atque confessus feret secum." [2])

Obiiciuntur contra ea, quae hucusque demonstravimus, plura.

1. Scripturae aliqua loca opponuntur, quibus nonnullorum peccatorum venia nulla asseri videtur. Quae loca cum, si quid probent, peccata illa ne a Deo quidem remitti posse probent, ubi (thesi 6) nullum peccatum esse quod nequeat remitti ostendimus, iam praeoccupata sunt.

2. Difficultates nonnullae contra ea Scripturae loca, quibus in hac thesi usi sumus, eorumque interpretationem moventur. Dicunt imprimis Protestantes, verbis Christi apud Matth. 18, 18 „quaecunque alligaveritis, quaecunque solveritis" intelligenda esse de correptione *fraterna*. Respondetur: a. si concederetur, nequeunt de correptione fraterna intelligi verba Ioan. 20 et Matth. 16; b. ex praecedentibus „dic Ecclesiae" patet sermonem esse de correptione potestativa; c. Christi verba significant, peccatoris causam ad praesides Ecclesiae deferendam esse, qui de ea iudicium ferant, vinculum sc. peccatorum vel ligantes vel solventes. — Dicunt praeterea, verba ligandi et solvendi, quorum in Talmude vis ea sit, ut auctoritatem praecipiendi significent, non exhibere nisi potestatem quandam *legislativam*. Respondetur: a. cum Talmudis pars antiquissima non scripta sit ante finem saeculi 2, fieri potest, ut tempore Christi voces illae significationem habuerint minus restrictam; b. auctoritas, quae his vocibus declaratur, ut fuse probat Morinus [3]), neque in ipso Talmude nudum significat magisterium, sed veram aliquam vincula animis imponendi solvendique potestatem.

3. Quodsi *Patres* nonnulli verba Christi ad iniurias ab hominibus condonandas referunt, non sensu exclusivo loquuntur et Christi verba extensione quadam accommodant. Quando vero non sacerdotem, sed Deum peccata dimittere docent, sacerdotis negant potestatem auctoritatis, minime vero ministerialem. Provocantes porro ad Lazari exemplum, qui prius a Deo ipso fuerit vita donatus, deinde a ministris solutus, aliquam sane vitam in peccatore absolvendo prae-

---

[1]) Pacian. Ep. ad Sympron. 1, 6.

[2]) Tertull. Scorp. 10.

[3]) Morinus, De admin. poenit. 1, 8.

requirunt, minime tamen vitam perfectam: sc. „illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare; quae nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati“ [1]). Quodsi denique Hieronymus reprehendit presbyteros, quod „vel damnent innocentes vel absolvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sacerdotis sententia, sed reorum vita quaeratur“ [2]) — nullatenus potestatem sacerdotum in peccatores sententiam ferendi negat, sed arrogantiam redarguit eorum, qui data sibi potestate abusi pro arbitrio absolutionem concedunt vel denegant; quod quidem non licere, exemplo probat veterum sacerdotum de lepra non iudicantium nisi examine praemisso.

4. Opponuntur denique facta aliqua historica dictaque Patrum, quibus aliquorum *graviorum* criminum venia vetustissimis Ecclesiae temporibus denegata fuisse videtur. Respondetur: a. Si concedatur in aliqua ecclesia particulari vel ab aliquibus episcopis nimia hac in re peccatum fuisse aliquando severitate [3]), certum tamen est, nullum esse peccatum, quod ab Ecclesia *universali* unquam existimatum sit irremisibile, aut quod saltem in articulo mortis non fuerit condonatum. Atque hoc quidem a priori est manifestum. Nam ex una parte Deus ipse statuit peccata mortalia non remitti nisi, quemadmodum postea probabitur, Ecclesiae clavibus subiiciantur; ex parte altera Ecclesia certissime ius ac potestatem a Deo accepit remittendorum peccatorum omnium, uti probatum est: ergo ipse Deus dicendus erit velle, ut peccatoribus poenitentibus ab Ecclesia venia semper concedatur; atqui nefas est asserere Ecclesiam universalem contra hoc ius divinum aliquando disciplinam sanxisse, qua peccatorum venia iis, qui rite essent dispositi, denegaretur. b. Distinguere oportet poenitentiam in poenitentiam *privatam* et *ecclesiasticam*, ex quibus haec altera iterum distinguitur in *canonicam* i. e. pro certis criminibus statutam a canonibus et poenalibus et poenitentialibus, in *publicam* simpliciter, quae in publica accusatione aut humiliatione residebat et vel sponte vel ex praecepto solebat obiri, in publicam

---

[1]) Gregor. M. Hom. 26 in Evang.

[2]) Hieronym. In Matth. 16, 19.

[3]) Rigorem hunc nimium aliquorum inter alios testatur Cyprianus (Epist. 52, 21): „Apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt et in totum poenitentiae locum contra adulteria clauserunt. Non tamen a coëpiscoporum collegio recesserunt aut *catholicae* Ecclesiae unitatem vel duritiae vel censurae suae obstinatione ruperunt, ut, quia apud alios pax adulteris dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur.“

sollemnem, quae pro gravissimis tantum criminibus, sc. moechia, homicidio, idololatria, antiquitus imponebatur. [1]) Animadvertere praeterea sedulo oportet, nomine „poenitentis“, ut patet ex c. 2 Concilii Toletani I, proprie vocatum esse solum eum, „qui post baptismum aut pro homicidio aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam poenitentiam gerens sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altari“. Iam vero manifestum est, quando huiusmodi poenitentibus legitur reconciliatio fuisse negata, modo vere essent poenitentes, id posse et debere intelligi non quidem de venia peccati tantum, sed de remissione et reconciliatione plus minus perfecta, de restitutione eorundem in iura priora, de admissione praesertim ad sacram Eucharistiam, de poenitentia sollemni, quae semel tantum solebat concedi, de clericis denique qui a poenitentia publica prohibebantur. [2])

COROLLARIUM. Primis Ecclesiae saeculis quamquam in universa Ecclesia severior observabatur disciplina in peccatis gravioribus remittendis, nunquam tamen, ut audivimus, consuetudo erat universalis certis quibusdam criminibus denegandi veniam. Errare igitur dicemus Petavium [3]), Sirmondum [4]), Morinum [5]), Iuenin [6]), Hagemann [7]), Fechtrup [8]), Funk [9]), censentes vel iam aetate apostolica vel saltem saeculo 2 tribus peccatorum generibus, sc. moechiae, idololatriae, homicidio, veniam ab Ecclesia universa aut omnino

---

[1]) Poenitentia sollemnis in *quatuor ordines* vel *stationes* distributa fuisse vulgo fertur: sc. πρόσκλαυσις (fletus), ἀκρόασις (auditio), ὑπόπτωσις (substratio), σύστασις (consistentia). Accuratiorem harum stationum descriptionem cf. apud Bona, Rer. liturg. t. 1 c. 17 § 4. Auctore cl. Funk (Abhandl. 1, 7) stationes illae in usu communi non erant nisi in Ecclesia orientali et nominatim in Asia minori; finem vero acceperunt exeunte saeculo 4; statio flentium non est orta nisi post Concilium Nicaenum; qui denique substrati (ὑποπίπτοντες) dicuntur, Liturgiae intererant prostrati vel genuflexi usque ad Communionem. — Alia de poenitentia publica legi poterunt apud Morinum, De admin. poenit.; Frank, Die Bussdisciplin: Duchesne, Origines du culte chr. 15; Probst, Sacram. 4; Schmitz, Die Bussbücher I et II; Koch in ‚Theol. Quartalschrift‘ 1900 p. 481 sq.

[2]) Merito itaque a Pio VI proscripta est prop. 38 *Synodi Pistoriensis*, quae profitetur, „se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam . .; per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent“.

[3]) Petav. Animadv. in Epiphanii Haer. 59.

[4]) Sirmond. Hist. poenit. publ.

[5]) Morinus, De admin. poenit. 10.

[6]) Iuenin, De poenit. q. 7 c. 1 a. 2.

[7]) Hagemann, Die röm. Kirche p. 53 sq.

[8]) Theolog. Quartalschr. 1872, 430.

[9]) Funk, Abhandl. 1, 6.

non fuisse concessam, aut iis, qui solum in mortis articulo veniam petebant, aut saltem iis, qui post reconciliationem relapsi essent, negatam fuisse.[1])

De praecipuis argumentis horum eruditorum *historicis* pauca sufficiet respondisse. Obiicitur *Pastor Hermae*, qui ex revelatione annuntiat, post terminatum aliquem diem deinceps, si adhuc peccatum in iustis fuerit, salutem iis non esse futuram.[2]) Iam vero ipse ‚Pastor' „omnibus" poenitentibus, etiam „moechis", poenitentiam agentibus peccatorum remissionem pollicetur[3]); unde Tertullianus eum vocat „apocryphum Pastorem moechorum"[4]). Porro non agit ‚Pastor' de potestate Ecclesiae, sed similiter ac Paulus (Hebr. 3, 7 sq.) difficile esse ait, quod qui post iustificationem relapsi fuerint „recedentes a Deo vivo"[5]), veram peccati sui poenitentiam agant. — Obiicitur *Tertullianus*, qui Pontificem Romanum sibi non cohaerere scribit, cum „idololatram et homicidam" damnans „moechum, utriusque collegam" de medio excipiat.[6]) At vero ipse Tertullianus catholicorum de peccatoribus omnibus doctrinae, quam fatetur aliquando seipsum defendisse, summam alibi hanc exhibet: „Offendisti, sed reconciliari adhuc potes"[7]). — Quid igitur de illo decreto *Pontificis Maximi* (Zephyrini vel Callisti), quod irridet Tertullianus? Verosimile est, illud decretum ideo de solis moechis loqui, quia de aliis, sc. homicidis et idololatris ad Pontificem quaestio non videtur fuisse delata, quemadmodum videlicet etiam Cyprianus (l. c.) episcoporum quorundam mentionem facit, qui „dandam pacem moechis non putaverunt". Ac simili ratione etiam illud intelligi posse videtur, quod *clerus Romanus* ad Cyprianum scribit: „Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus"[8]). — *Cyprianus* eos quos „mortis urgentis admonitio compellit", „a spe communionis et pacis" prohibet.[9]) At hoc quidem ideo quia, ut ait, „non delicti poenitentia" eos compellit, quia igitur poenitentia eorum suspecta est. „Pacem" porro, quam morientibus peccatoribus negat, illam intelligit, quae non est in sacramentali absolutione sola, sed in perfecta cum Ecclesia reconciliatione, cuius „pacis" dandae alibi etiam „diaconis" facit potestatem.[10]) — Quodsi denique *Innocentius I* testatur, quantum ad eos, qui „omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt", „consuetudinem priorem tenuisse, ut concederetur poenitentia, sed communio negaretur"[11]), docet, priore illa observatione mori-

---

[1]) Quam praxim in moechis a Callisto, in idololatris a Cornelio, in homicidis saeculo demum 4 dicunt mitigatam fuisse.

[2]) Herm. Pastor, Visio 2, 2.

[3]) Herm. Pastor, Mand. 4.

[4]) Tertull. De pudic. 20.

[5]) Herm. Pastor, Visio 2, 3.

[6]) Tertull. De pudic. 5.

[7]) Tertull. De poenit. 7 sq.

[8]) Cyprian. Epist. 30, 8.

[9]) Cyprian. Epist. 52, 23.

[10]) Cyprian. Epist. 12, 1.

[11]) Innoc. I Epist. ad Exup. 2.

bundis una cum poenitentia, quamvis non perfectam reconciliationem, certe tamen peccatorum absolutionem concessam fuisse.[1])

SCHOLION. Quando aliqui veteres *Scholastici*, ut Richardus Victorinus et Magister potestatem remittendi peccata in eo dicunt consistere, ut sacerdotes „dimissa a Deo vel retenta iudicent et ostendant“[2]), longe aliud sibi volunt quam Protestantes. Conveniunt enim certe omnes, poenitentiam esse sacramentum, cuius potior pars sit absolutio vera a peccatis. Quam deinde absolutionem accuratius investigantes, vel ut causalitatem principem in remissione peccati Deo qui propria virtute agat vindicent, cum sacerdos agat „dispositive et instrumentaliter“[3]), vel etiam ut in eo qui a peccatis absolvendus est saltem attritionem — aliqui etiam contritionem — ideoque aliquam vitam spiritualem praerequiri significent, declarationem remissionis malunt vocare authenticam quam simpliciter remissionem. Nec isti a Concilio Tridentino damnati esse dicendi sunt. „Concilium, ita Pallavicinus l. 12, eorum tantum errorem damnavit, qui dicebant, absolutionem esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata.“[4])

Thesis 11.

Potestati Ecclesiae peccata remittendi omnia peccata mortalia subiici debent.

Probatum est, Ecclesiae esse potestatem peccata remittendi. Ex quo sequitur, posse fidelem quemlibet ad peccatorum suorum veniam obtinendam ad hanc Ecclesiae potestatem recurrere; simulque sequitur, debere eum, qui beneficio hoc uti voluerit, potestatem illam agnoscere eique se subiicere. At quid, si quis hoc beneficio uti nolit? Quaeritur nempe, utrum homini peccatori ad peccatorum veniam obtinendam *necessarium* sit recurrere ad Ecclesiae potestatem, an sit ei liberum atque integrum ad eam recurrere, vel, si libuerit, aliud adhibere medium veniae obtinendae. Quaestio est de *indole* potestatis a Christo Ecclesiae collatae et simul de sacramenti poenitentiae *necessitate.*

Quaestioni propositae sic respondetur: sicut nullum peccatum est post baptisma commissum, quod clavium potestate non possit remitti, ita pariter mortale nullum est, quod remittatur independenter ab illa potestate. Res est de *fide.* Definivit eam Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 2) dicens, voluisse Christum baptizatos, „si se crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti“; et esse „hoc sacramen-

---

[1]) Cf. de quaestionibus his historicis Frank, Die Bussdisciplin der Kirche 3. 4, 5; Palmieri, De poenit. th. 9; Schmitz, Die Bussbücher I, 1 sq.

[2]) Lombard. 4 dist. 18 q. 6.

[3]) S. Th. in h. l.

[4]) Cf. Lugo, Disp. 13 sect. 2 et Palmieri, De poenit. p. 291; Edit. S. Bonav. IV p. 474.

tum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipsum baptismum"; denique confessionem peccatorum necessariam esse iure divino, de qua necessitate infra dicetur.

DEMONSTRATUR: Peccata mortalia *clavium potestati subiici debent.*

1. Probatur ex analysi *verborum Christi* potestatem peccatorum remittendorum Ecclesiae conferentis; non quidem ex potestate remittendi praecise spectata, sed ex tota potestate, qualem Christus tribuit, sc. potestate quae patet bifariam quaeque est potestas et remittendi et retinendi. Videlicet:

Peccata eius, qui potestati clavium se subiecerit, independenter ab hac potestate remitti nequeunt. Remissio enim ab Ecclesia facienda talis exhibetur conditio remissionis a Deo largiendae, ut nisi illa concedatur, nullo iam modo haec obtineri queat. Et sane: potestas Ecclesiae non tantum est potestas peccata remittendi, sed etiam retinendi; atqui potestas haec retinendi non est mera actus remittendi omissio, cuius sane omissionis potestas iam in ipsa potestate remittendi satis concessa intelligitur, sed describitur potestas talis, ut retentio actus potestatis positivus, seu „sententia retentionis" (Conc. Trid. cap. 5) intelligi debeat, ita quidem, ut si Ecclesia peccata retineat, *retenta maneant* (κεκράτηνται) nec ullo alio medio remitti possint.

Atqui si res ita est, etiam antequam peccator potestati Ecclesiae actu se subiecerit, ut veniam obtineret, se ei subiicere tenebatur. Nam si obligatio illa clavibus peccata subiiciendi non adesset antequam actu Ecclesia potestatem suam exercuerit, dicendum foret: a. illum qui libere medio aliquo utatur, hoc ipso reliquis quae adsint salutis mediis aut renuntiare aut spoliari; b. eius, qui peccata clavibus subiiciat, conditionem peiorem esse quam eius, qui ea non subiiciat, ideoque potestatem, quam Christus Ecclesiae dedit, evadere quam maxime odiosam; c. caritatis actum non habere in omnibus et semper eandem vim iustificandi. Atqui haec opinari non licet.

Ergo necesse est, ut peccata mortalia remittenda *omnia* clavibus Ecclesiae subiiciantur.

Cum porro Christi verbis non tam lex moralis aliqua quam medii alicuius significetur institutio, quod cum fine assequendo nexum necessarium habeat, manifestum est, necessitatem peccata clavibus subiiciendi, quam ex verbis illis colligimus, non esse solum necessitatem quam vocant praecepti, i. e. non idcirco tantum peccata Ecclesiae potestati esse subiicienda, ne peccemus, sed necessitatem esse *medii*, i. e. huiusmodi, ut nisi subiectio ista aliquo saltem modo fiat, peccatorum remissio nullatenus concedatur. Quamobrem merito

Concilium Tridentinum docet (cap. 2): „sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum esse necessarium, sicut necessarius est nondum regeneratis ipse baptismus."

2. Idem *Patrum* testimonia confirmant.

Plura audiemus, quando confessionis necessitatem probabimus. Modo haec suffecerint. „Audite me, fideles, id est baptizati. Quare moriemini iam renati? . . . Agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? Frustramus evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus nobis, quod ille negat?"[1] „Soli illi (catholicae Ecclesiae) Dominus ligandi solvendique tribuit potestatem dicens: tibi dabo claves etc. Quod ergo sancta Ecclesia in hoc saeculo non solverit, ita insolubile permanet, ut etiam in futuro solvi nullatenus possit. Ligatus est autem omnis homo, quem ista non solverit, nec consequetur aliquod solutionis beneficium, qui non conversus ad poenitentiam in Ecclesia sibi dandam speraverit indulgentiam peccatorum."[2] „Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent: sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Iesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent."[3]

COROLLARIUM **1.** Necessitas subiiciendi se clavibus, cum non adsit nisi quantum ad peccata, quae retineri possunt ita ut maneant retenta, patet se non extendere nisi ad peccata *mortalia:* ideoque potestas peccata retinendi non spectat proprie peccata *venialia*; extenditur vero ad ea potestas remittendi, cum haec nullos limites habeat.

2. Quia, ut audivimus, potestas remittendi et retinendi peccata comprehenditur in potestate ampliore solvendi et ligandi, potestas autem *ligandi* non est solum solutionis omissio, sed vincula imponendi potestas, merito ex ista potestate colligitur Ecclesiae ius praescribendi peccatoribus conditiones veniae adipiscendae, ius sc. *poenas* infligendi atque *satisfactiones.* De qua re

---

[1]) Augustin. Sermo 392, 3.
[2]) Fulgent. De rem. pecc. 1, 24.
[3]) Leo M. Epist. 118.

ita Richardus Victorinus: „Quod ad Petrum Dominus dicit, idem valet ac si aliis verbis diceret: quod ligatum aut solutum fuerit a te, ligatum et solutum erit et apud me. Qui a te debitae satisfactionis iniunctione constringitur, apud me eiusdem satisfactionis debitor tenetur; et qui a te peccatorum suorum absolutionem meruit, ex meo iudicio pro hac parte arctari non poterit." [1])

SCHOLION. Peccata igitur mortalia, ut remittantur clavibus Ecclesiae necesse est subiicere. At si res ita habet, quid dicendum de *contritionis perfectae* efficacia? Scilicet: demonstratum est thesi 8 tantae esse contritionem caritate formatam virtutis, ut immediate peccata diluat; hac thesi ostendimus, peccata non remitti nisi clavium potestati subiiciantur. Verum non sunt haec pugnantia, sed amice componuntur. Rem ita expressit Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 4): „Etsi contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti *voto*, quod in illa includitur non esse adscribendam." Nimirum: Quod dicitur necessarium necessitate medii, ita intelligitur necessarium, ut aliquo modo adhiberi debeat, sc. sive re sive voto. Votum vero huiusmodi non est nisi voluntas faciendi, quod Deus vult; quae voluntas in ipsa iam contritione includitur. Idem ergo est actus caritatis, quo peccatorum remissio obtinebatur ante sacramentum poenitentiae institutum, et quo nunc obtinetur; terminus solus illius actus secundum quid est alius, cum modo etiam sacramentum, quod Deus suscipi vult, suscipiendum complectatur. Nihil itaque Christi institutione de actu ipso caritatis eiusque dignitate atque efficacia est detractum.

Quid ergo in causa est, *cur* Christus peccata, quorum remissioni caritas per se par est, clavibus Ecclesiae subiici voluerit? Plures afferuntur huius rei rationes, quarum hae videntur esse praecipuae:

1. „In confessione sacramentali non solum requiritur absolutio, sed iudicium sacerdotis satisfactionem imponentis exspectatur; et quamvis iste absolutione sit functus, tamen tenetur confiteri." [2])

2. „Aliquis non potest esse certus, quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem culpae et poenae, et ideo tenetur confiteri et satisfacere." [3])

3. „Per sacramenta homo non solum Deo, sed etiam Ecclesiae oportet quod reconcilietur. Ecclesiae autem reconciliari non potest, nisi sanctificatio Ecclesiae ad eum perveniat. In poenitentia Ecclesiae sanctificatio non pervenit ad hominem nisi per ministrum . . . Et ideo quamvis ille . . . consecutus sit veniam a Deo . . . non tamen adhuc Ecclesiae reconciliatus est, ut ad sacramenta Ecclesiae admitti debeat, nisi prius a sacerdote absolvatur; sicut ille, qui baptismo flaminis baptizatus est, ad Eucharistiam non admittitur." [4]) Per homines scilicet Christus Deus-homo homines voluit sanctificari; quocirca Ecclesiam suam condidit instituitque animarum sanctificandarum

---

[1]) Rich. Vict. De potest. lig. 11.
[2]) S. Th. Suppl. q. 10 a. 5 ad 1.
[3]) S. Th. Suppl. q. 5 a. 2 ad 1.
[4]) S. Th. Suppl. q. 8 a. 2 ad 3.

societatem, sacramenta ei sua concredens, nosque ab illa ut a matre filios lactentes pendere volens. Atque id Christus ipse satis clare significavisse existimandus est, quando (Luc. 17, 14) quos ipse a lepra sanaverat ad sacerdotes misit, et quando (Act. 9, 6) Paulum, procul dubio illico conversum et iustificatum, Ananiam adire iussit.

Obiicitur. Potestas peccata retinendi supponit adesse peccata. Atqui contritione perfecta peccata ita delentur, ut non iam adsint. Ergo potestas retinendi non ad omnia extenditur peccata.

Resp. Dist. Ma. Potestas retinendi, quae efficit, ut peccata actu maneant, supponit adesse peccata C; potestas retinendi in tota sua, quae ex Christi verbis colligitur, amplitudine spectata, consistens in iure ut peccata mortalia omnia ei subiiciantur, supponit adesse peccata Sbd. si efficiat, ut actu peccata maneant C; quantum ad alios suos effectus nominatimque obligationem peccata clavibus subiiciendi Sbd. supponit peccata actu adesse N, supponit peccata aliquando adfuisse, licet fortasse iam sint deleta C. *Contradist. Mi.* Contritione perfecta peccata ita delentur ut iam non sint, sic tamen, ut aliquando fuerint nec deleta sint absque voto subiiciendi ea clavibus C; secus N.

Thesis 12.

Potestas Ecclesiae peccata remittendi est potestas iudicialis.

Nullum est peccatum, quod per potestatem a Christo acceptam ab Ecclesia nequeat remitti; nullum pariter est peccatum mortale, quod, ut remittatur, potestati isti non oporteat subiici. Potestas porro peccatorum remittendorum duplicis esse poterit generis: altera, qua remissio fiat per modum merae condonationis; altera, qua fiat per modum iudicii. Priore modo peccata remittuntur in baptismo; quae vero post baptismum committuntur peccata mortalia, non remittuntur nisi per actum iudicialem. Ad actum autem iudicialem duo requiruntur: a. ut qui sententiam fert, auctoritate polleat efficaciter eam ferendi, sic enim iudex distinguitur ab eo qui non est nisi arbiter; b. ut sententiam ferat non pro beneplacito suo, sed pro merito eius, cuius causa agitur. Potestas itaque Ecclesiae remittendi peccata, quae post baptismum committuntur, potestas *iudicialis* est. Voluit videlicet Christus, ut Ecclesia potestatem habeat efficaciter peccata vel remittendi vel retinendi, idque non quidem pro lubito suo, sed secundum legem a Christo latam et secundum hominis peccatoris meritum.

Protestantes negaverunt, potestatem Ecclesiae remittendi peccata iudicialem esse; docentes sc. Ecclesiam omnibus absolutionem petentibus eam concedere seu potius eam a Deo concessam esse declarare debere. Contra quos *Concilium Tridentinum* doctrinam catholicam

sic definivit: „Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae christifideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient“ (cap. 5); et: „quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen est non solum nudum ministerium vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntiatur“ (cap. 6); et: „si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti . . . a. s.“ (can. 9). Veritas haec catholica iam ex hucusque de clavium potestate dictis satis patet.

DEMONSTRATUR: Potestas Ecclesiae remittendi peccata est potestas *iudicialis.*

1. Colligitur ex analysi *verborum* Christi.

1. Illa potestas est a principe societatis supremo instituta sc. a Christo, qui eam Ecclesiae suae contulit; idque ita ut omnia illius societatis membra ei subiiciantur.

2. Est potestas sententiam efficaciter ferendi in causis iuris divini violati, inquantum sc. per sententiam solutionis seu remissionis peccator a reatu culpae et poenae aeternae liberatur, per sententiam vero ligationis vel retentionis actu positivo iuridico efficitur, ut peccator peccato maneat obligatus, eique praeterea, etiam si absolvatur, poenae infliguntur.

3. Potestas illa non pro lubito exercenda est, sed secundum legem Christi et pro merito illius, cuius causa agitur, ita ut solus vere poenitens absolvatur, solus impoenitens ligatus dimittatur, poenae non iniungantur nisi secundum peccatorum exigentiam.

2. Comprobatur ex doctrina *Patrum.*

Patres de poenitentiae tribunali loquuntur, sacerdotes peccata absolventes iudices vocant, absolutionem ipsam iudicium habent.

Constitutiones Apostolorum provocantes ad verba Christi „quod ligaveritis“ dicunt, episcopis esse „potestatem iudicandi eos qui deliquerunt“.[1] Chrysostomus ex iisdem Christi verbis sic arguit: „A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit coelum; nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur servum et quidquid hic in inferioribus iudicarit, hoc in supremis comprobat.“[2] Hieronymus dicit, „sacerdotes claves regni coelorum habentes quodammodo ante iudicii diem iudicare“.[3]

---

[1]) Constit. Apost. 2, 11.

[2]) Chrysost. Hom. 5 de verb. Is. 1.

[3]) Hieronym. Epist. 14 ad Heliod. 8.

SCHOLION. Potestas remittendorum peccatorum, quam Christus Ecclesiae contulit, quamvis potestas sit vere iudicialis, utpote quae ea contineat quae ad essentiam spectant iudicialis potestatis, nihilominus duplex imprimis est inter eam et potestatem reliquam iudicialem, quae est apud homines, discrimen. Nimirum: 1. Cum potestas iudicialis fori externi in causis criminalibus hunc principem habet finem, ut crimina puniantur ac ordo socialis defendatur, potestas clavium primario bonum singulorum fidelium spectat ac peccatorum remissionem; quocirca imprimis tribunal misericordiae est. 2. Iudex fori externi reum non absolvit, sed damnat, nec ullum innocentem facit, sed innocentem declarat; sacerdos vero et reum absolvit et innocentem facit, non quidem reum quemlibet, sed eum qui requisitam exhibuerit compensationem.

Thesis 13.

Poenitentia est sacramentum a baptismo distinctum.

Thesis haec ex praecedentibus sponte sua consequitur. Neque enim aliam ob causam Protestantes poenitentiam sacramentum esse negant, quam quia Ecclesiae potestatem etiam extra baptismi sacramentum peccata vere remittendi non agnoscunt.

Animadvertendum vero est, fieri quidem posse, ut in quo sita sit propria ratio sacramenti, quae sit eiusdem materia, quae forma, non sit omnino liquidum, quin tamen ex huiusmodi difficultatibus de re ipsa liceat dubitari: aliud enim est nosse rem esse, aliud intelligere quomodo sit.

DEMONSTRATUR: Poenitentia *sacramentum* est.

1. Probatur ex *natura* ipsa potestatis Ecclesiae collatae.

Signum sensibile a Christo institutum ad significandam et efficiendam gratiam est verum novae Legis sacramentum. Atqui talis est poenitentia. Et sane:

In exercitio potestatis peccata remittendi, qualem ex verbis Ioan. 20 collegimus, adest 1. *signum sensibile:* ut enim sacerdos sciat, utrum peccata remittat an retineat, peccator aliquo modo statum suum tenetur manifestare, utque poenitens sciat, peccata sibi remissa esse, sacerdos aliquo modo tenetur manifestare absolutionem; 2. signum *gratiam efficiens:* absolutio enim veram peccatorum efficit remissionem, nec haec sine gratiae infusione locum habet; 3. signum a *Christo institutum* perenniterque mansurum, quemadmodum in superioribus satis probavimus.

2. Universa Ecclesiae *Traditio* idem testatur.

1. Argumentum *praescriptionis.* Cum Protestantes exorti sunt, totus christianus orbis, non solum occidens, sed, ut ex professione Episcoporum Graecorum in synodo Bethlehemitica a. 1572 congre-

gatorum et ex responsione Ieremiae Archiepiscopi Constantinopolitani ad Confessionem Augustanam a. 1574 sibi oblatam clare elucet, etiam oriens poenitentiam veri nominis sacramentum credebat et septem N. T. sacramentis annumerare solebat; atqui universalis haec fides non potuit non esse ab Apostolis derivata. [1])

2. *Patres* poenitentiam sacramentum esse praedicant et re ac nomine a baptismo distinguunt.

Praeter ea quae iam allata sunt, haec accipiantur: „Haec venena providens Deus, clausa innocentiae ianua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat." [2]) „Quid interest, utrum per poenitentiam an per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est." [3]) „Sicut homo ab homine sacerdote baptizatus illuminatur Spiritus Sancti gratia: ita et confitens in poenitentia a sacerdote accipit remissionem gratia Christi." [4]) „Si a catechumeno (homicidium) factum est, baptismate abluitur; et si a baptizato, poenitentia et reconciliatione sanatur." [5]) „Agnosce sacramenta salutis tuae, per quae renatus es. Non minus tibi nunc opus sunt, quam tunc fuerunt: ut te per poenitentiam nunc regenerent, quae per fontem generarunt." [6])

SCHOLION **1.** Quaeritur, *quando* Christus poenitentiae sacramentum instituerit. Respondet Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 1): „Dominus illud tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: accipite Spiritum S. etc." Tunc „praecipue" hoc sacramentum institutum fuisse dicitur, quia Christus prius iam illud promisit et praeformavit, quando nimirum ligandi solvendique potestatem Apostolis tribuit et Petro claves regni coelorum largiturum se praedixit. Praefiguratum hoc sacramentum Patres agnoscunt in veterum sacerdotum de lepra iudicio (Lev. 14); adumbratum ab ipso Christo in sanatione leprosorum, quos ad sacerdotes

---

[1]) Cf. de Sacram. in genere th. 10.

[2]) Tertull. De poenit. 7.

[3]) Ambros. De poenit. 1, 8.

[4]) Athanas. Adv. Novat. fragm.

[5]) Augustin. De coniug. adult. 2, 16. — Quod asserit Augustinus (De nupt. et concup.), „lavacro regenerationis non tantum peccata praeterita, sed etiam posterius admissa remitti", nihil aliud sibi vult, quam eatenus baptismo peccata etiam post baptismum commissa remitti, quia baptismo ius acquiritur ad sacramentum poenitentiae ac per hoc ad peccatorum remissionem obtinendam. Subdit enim ipse Augustinus: „Quid enim prodesset vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet?" Clarissime mentem suam aperit sanctus Doctor in epist. 23, ubi „si parvulus baptizatus, inquit, grandaevus factus propria inceperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, sed alia curatione resarciri possunt".

[6]) Cassian. De incarn. 6, 18.

misit, et in Lazari resuscitatione, quae quidem resuscitatio in Coemeteriis quoque Urbis subterraneis poenitentiae sacramenti figura repraesentatur.

2. De rationibus, quibus sacramentum hoc a *baptismo dignoscitur*, haec docet Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 2): „Praeterquam quod *materia* et *forma*, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat baptismi ministrum *iudicem* esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus . . ., secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus . . . ante hoc tribunal sisti voluit . . . Alius est praeterea baptismi, alius poenitentiae *fructus:* per baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit.“

Articulus II.

De sacramenti poenitentiae essentia.

Cum iis, quae in praecedentibus statuta sunt, intime nectuntur quae de potestatis clavium subiecto seu de sacramenti poenitentiae *ministro* dicenda sunt. Quaeremus deinde, quo actu exerceat minister hic concreditam sibi potestatem; aliis verbis, de *forma* sacramenti huius quaeremus. Atque haec quidem facilia sunt. Sequetur denique quaestio aliquanto implicatior de actibus poenitentis quatenus ad sacramentum spectant, et quidem tum de ipsis actibus singulis seorsim spectatis tum de ratione et modo quo sacramenti essentiam ingrediuntur, seu de *materia* huius sacramenti.

Thesis 14.

Minister sacramenti poenitentiae solus est 1. sacerdos, isque 2. iurisdictione instructus.

Waldenses et *Wicleffitae* hosque secuti ac principiis suis de discrimine inter clericos et laicos sublato constantes *Reformatores* hominem quemlibet baptizatum absolutionis ministrum esse docuerunt, modo sit in statu gratiae. Contra quos Concilium Tridentinum haec definivit (Sess. 14 can. 10): „Si quis dixerit . . . non solum sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis christifidelibus esse dictum «quaecunque ligaveritis etc.» et «quorum remiseritis peccata» etc., quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata: a. s.“ — *Iansenistae* plures nihil aliud in ministro requiri contenderunt, quam potestatem quae ipso ordinis sacra-

mento confertur, ita ut sacerdos quilibet valide absolvere possit. Cum *Durando* aliqui theologi opinati sunt, vi solius ordinationis sacerdotes habere potestatem absolvendi, usum vero eius ligari prohibitione Ecclesiae. Verum sententia communissima ac vera est, praeter potestatem ordinis ad peccata remittenda exigi potestatem iurisdictionis, idque ita ut sine ea absolutio invalida sit, hancque praeterea iurisdictionem non accipi vi solius ordinationis, sed ex concessione Ecclesiae. Doctrinam catholicam sic brevissime proposuit Concilium Florentinum (Decr. pro Armenis): „Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi." Dicitur *sacerdos,* i. e. et episcopus et presbyter; dicitur sacerdos *auctoritatem* habens absolvendi, i. e. sacerdos iurisdictione instructus.

Duplex scilicet distinguitur et ad hoc sacramentum valide dispensandum requiritur potestas: potestas *ordinis* et potestas *iurisdictionis.* „Prior definitur potestas, quae ordinatur ad efficienda sacramenta; altera dicitur potestas pascendi seu gregem Christi regendi tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, quae praecepti ritu credenda proponitur, tum quoad voluntatem per verum proprieque dictum imperium, quo in tota mediorum oeconomia fideles dirigantur, ita ut ipsa quoque sacramentorum dispensatio ad eiusmodi potestatis officium pertineat." [1]) Potestas igitur ordinis est potestas gratiae per sacramenta administranda et cultum divinum exercendum hominibus impetrandae; potestas iurisdictionis est potestas homines ad cooperandum cum gratia efficaciter dirigendi. Ut vero quis alterum ex potestate ad finem aliquem efficaciter dirigat, eum necesse est ut *sibi subditum* habeat; iurisdictio ergo est potestas hominis in alium sibi subditum. Omnis, ut ex dictis patet, sacramentorum dispensatio ad iurisdictionis officium aliquo modo pertinet; verum speciali plane modo sacramenti poenitentiae dispensationem ad potestatem hanc spectare probabimus, ita sc. ut absque hac iurisdictionis potestate valide dispensari omnino non possit. Duplex porro cum sit forum, in quo Ecclesiae ius dicendum est, sc. *internum* et *externum,* quoniam res hic agitur in foro conscientiae, quod est internum, iurisdictionem fori interni requiri patet, potestatem videlicet, qua sacerdos, ut iudex, in alium tamquam in subditum sententiam ferre possit in foro *conscientiae.* Iurisdictio denique, cum huiusmodi sit, non per ordinationem solam acquiritur: ordinatione enim non assignantur subditi; obtinetur vero ita, ut vel habeatur vi officii, quod alicui incumbit, et *ordinaria* vocatur, vel etiam absque tali officio habeatur ex concessione eius, qui ordinariam habet, et dicitur *delegata.*

[1]) Tarquini, Ius publ. 2, 1.

DEMONSTRATUR: 1. *Solus sacerdos* sacramenti poenitentiae minister est.

1. *Non alii* in fidei deposito occurrunt poenitentiae ministri quam sacerdotes.

Peccata remittere non potest nisi Deus solus et is cui ipse Deus id concesserit. Atqui Deus seu Christus non omnibus fidelibus, sed Apostolis potestatem fecit peccata remittendi. Atqui horum successores non quilibet, sed episcopi et sacerdotes sunt.

Ecclesia tum modo agendi tum verbis explicitis clare semper significavit censere se sacerdotes sacramenti poenitentiae ministros esse ita, ut praeter eos sit nemo. Ubi enim eorum, qui peccata possint remittere vel poenitentiae sint ministri, occurrit sermo tum in omnibus antiquis ritualibus tum apud Patres, quorum testimonia supra allata sunt, soli semper nominantur sacerdotes. Atqui cum in re tali, quae ex Dei sola voluntate pendet, soli sacerdotes exhibeantur potestatis illius participes, satis iam patet, ipsis solis eam esse concessam; idque eo vel magis quod iidem Patres de baptismi sacramento loquentes quemlibet valide et in casu necessitatis etiam licite baptizare concedunt. [1])

2. Patres *diserte* affirmant, *solos sacerdotes* hac potestate instructos esse. „Ius hoc (solvendi et ligandi) solis permissum sacerdotibus est; recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet.“ [2]) „Concessit hoc (dimittere peccata) Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.“ [3]) — Atque inde est quod v. g. Firmilianus apud haereticos remissionem peccatorum esse negat, quia sc. Christus Apostolis solis dixerit: „Quorum remiseritis peccata etc.“

3. Haec est unanimis doctrina *theologorum.* „Dicendum est sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium, ita ut in nulla necessitate neque ex ulla dispensatione alius sufficere possit; est conclusio communis theologorum et de fide.“ [4])

2. Sacerdos, ut sit poenitentiae minister valideque absolvat, *iurisdictionis* potestate instructus esse debet.

1. *Natura* sacramenti poenitentiae id exposcit.

Actus enim peccata remittendi et retinendi, qui, quoniam sacramentum est, ordinis potestatem praerequirit, est praeterea, ut audivimus, actus *iudicialis;* atqui actus iudicialis nonnisi in subditos valide exerceri potest, seu potestatem praerequirit iurisdictionis.

---

[1]) Cf. Probst, Sacram. § 67 et 68.

[2]) Ambros. De poenit. 1, 7.

[3]) Ambros. l. c. 2, 12.

[4]) Suarez, Disp. 24 sect. 1, 3.

Quod idem S. Thomas ita evincit: „Usus clavium requirit aliquam praelationis potestatem, per quam ille, in quem usus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus. Ideo ille qui habet indistinctam potestatem super omnes, potest uti clavibus in omnes; illi autem, qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet uti possunt clavibus, sed in eos tantum, qui eis in sortem venerunt, nisi in necessitatis articulo, ubi nemini sacramenta sunt deneganda“ [1]; ubi quidem qui potestatem habet in omnes, etiam iis, qui distinctas potestates acceperunt, in omnes indistinctam concedit potestatem. [2]

2. Hoc semper in Ecclesia *persuasum* fuit.

Constat enim ex veteri disciplina, sine episcopi licentia sacerdotes non potuisse absolutionem impertiri. Synodus quoque Lateranensis IV ius divinum explicans diserte statuit (can. 21): „Omnis utriusque sexus fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno *proprio* sacerdoti . . .; si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter illum ipsum *non possit* solvere et ligare.“

Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 7) haec habet: „Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.“ Doctrina denique Synodi Pistoriensis (prop. 37) statuens „ad validum usum huius potestatis non esse necessariam ordinariam vel subdelegatam iurisdictionem“, a Pio VI damnata est ut „falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea“.

3. Haec est *theologorum* communis sententia. Audiatur S. Thomas: „Ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas: potestas ordinis et potestas iurisdictionis; prima quidem aequaliter est in omnibus sacerdotibus, non autem secunda.“ [3] „Potestas iurisdictionalis est, quae ex simplici iniunctione hominis confertur; et talis potestas non immobiliter adhaeret: unde in schismaticis et haereticis non manet, unde non possunt nec absolvere nec excommunicare nec indulgentias facere aut aliquid huiusmodi; quod si fecerint, nihil est actum.“ [4]

---

[1] S. Th. Suppl. q. 20 a. 1.

[2] „In articulo mortis omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.“ Conc. Trid. Sess. 14 cap. 7.

[3] S. Th. Suppl. l. c. ad 1.

[4] S. Th. 2, 2 q. 39 a. 3.

OBIICIUNTUR plura tum dicta tum facta historica, ex quibus concludi posse videtur, potestatem peccata remittendi competere vel omnibus vel saltem diaconis.

1. Apud S. Iacobum 5, 16 legitur: „Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.“

Resp. Confessione aliqua, qua sc. peccata non remittantur Tr; confessione sacramentali Sbd. alterutrum, i. e. generatim alii aliis (ἀλλήλοις) et non soli Deo C; speciatim singuli singulis Sbd. quibus potestas est remittendi peccata C, etiam aliis N. [1])

2. S. Cyprianus statuit „ut qui libellos a martyribus acceperunt. . ., si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia (sua), apud presbyterum quemcunque praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud *diaconum* quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris factis desideraverunt.“ [2])

Resp. Cyprianus de plena poenae remissione loquitur, quae propter martyrum merita concedi solebat, et de admissione ad unitatem Ecclesiae Eucharistiaeque participationem, quae, absolutione sacramentali, prout mos erat, iam antea concessa, omnibus denique quae legibus statuebantur rite persolutis atque exomologesi publice facta, sollemniter ab episcopo vel eius delegato fiebat C; loquitur de exomologesi, quae fiat proprie in ordine ad peccatorum remissionem obtinendam Sbd. declarans hanc peccatorum remissionem concedi posse a diacono N, docens, sacerdote deficiente, a Deo ipso poenitenti attrito et opera diaconi Eucharistia munito peccatorum concedi remissionem Tr.

3. A saeculo 8 et deinceps theologi gravissimi utile, imo in articulo mortis necessarium esse docuerunt, deficiente presbytero confiteri *diacono* vel etiam *laico*. [3])

Resp. Id docuerunt existimantes, confessionem huiusmodi diacono vel laico factam esse „sacramentalem“, ideoque ita confessum consequi sacramentalem absolutionem N; id docuerunt rati, prae-

---

[1]) Etiam alibi hic modus dicendi adhibetur, quin significetur relatio ex utraque parte aequalis: v. g. „Subiecti invicem (ἀλλήλοις) in timore Christi“ (Eph. 5, 21).

[2]) Cyprian. Epist. 13 ad presbyt. et diac.

[3]) S. Bonav. Sermo 8 in dieb. rogat.; S. Thom. 4 dist. 17 q. 3 a. 3; Suppl. q. 8 a. 2. — „Sicut sacrificium offerre non debent nisi episcopi et presbyteri, quibus claves regni coelestis traditae sunt, sic nec poenitentium iudicia alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, et presbyter non fuerit praesens, diaconus suscipiat poenitentem ad sanctam communionem.“ Regino Prumiensis, De disciplin. eccl. c. 295, 296.

ceptum Christi quoquo modo esse implendum, et si fuerit impletum, ipsa operis humilitate ideoque ex opere operantis „defectum sacerdotis summo sacerdote supplente“ (S. Th.) gratiam et peccatorum veniam obtineri C. — Atque ita rem iam intellexit auctor ‚de vera et falsa poenitentia‘ (c. 10); nam „fit dignus, inquit, venia ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio. Si autem nec laicum habere possis, confitearis Domino confessori summo.“ [1])

SCHOLION **1.** „Ordinis quidem potestas aequaliter est in omnibus sacerdotibus, non autem iurisdictionis. Et ideo ubi Dominus dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quae consequitur ordinem; unde et sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro singulariter dedit potestatem dimittendi peccata, ut intelligatur, quod ipse prae aliis habet potestatem iurisdictionis. Potestas autem ordinis, quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos: et ideo indeterminate Dominus dicit «quorum remiseritis peccata», intelligens tamen, quod usus illius potestatis esse deberet, praesupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem.“ [2]) Scilicet: Verbis Christi collata est quidem completa absolvendi potestas Apostolis eorumque successoribus. At non quilibet sacerdotes sunt successores in hac potestate, sed sacerdotes *iurisdictione* instructi et inquantum sunt iurisdictione instructi; cuius quidem iurisdictionis primatus non est collatus nisi Petro.

2. „Quia ad usum huiusmodi potestatis requiritur iurisdictio, quae a maioribus in inferiores descendit, ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus iudicium inferiori non committat.“ [3]) Atque haec est illa iurisdictionis limitatio, quae *casuum reservatio* dicitur. Eam Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 7) „antiquam“ esse et „magnopere ad christiani populi disciplinam“ conferre docet; eiusque in episcopis definit ius (can. 11) his verbis: „Si quis dixerit, episcopos non habere ius reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat: a. s.“ Cf. prop. 44 et 45 Synodi Pistoriensis.

3. Patet, ut quae prorsus necessaria est concedatur iurisdictio, posse ab Ecclesia praescribi examen de scientia ad hoc munus gerendum requisita. Requiritur autem omnino de sacerdotis idoneitate superiorum iudicium; quod quidem iudicium auctoritativum *approbatio* vocatur. Ea ab episcopo loci, in quo confessiones audiuntur, danda est. De approbatione haec

---

[1]) Ex praxi illa aliis etiam non presbyteris confitendi fieri potuit ac factum est, ut hac in re abusus hic illicve irreperent et diaconi aliqui ius quoddam sibi vindicarent. Qui quidem abusus ille est, quem Synodus Pictaviensis (a. 1280) his verbis castigat: „Abusum eorum, qui in nostra dioecesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicare volentes inhibemus, ne diaconi confessiones audiant et ne in foro poenitentiali absolvant, cum certum et indubitatum sit, ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur.“

[2]) S. Th. Suppl. q. 20 a. 1 ad 1.

[3]) S. Th. l. c. a. 2.

statuit Concilium Tridentinum (Sess. 23 c. 15 de reform.): „Decrevit Sancta Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur et approbationem, quae gratis detur, obtineat."

4. Potestas peccata remittendi cum fine primario peccata spectet mortalia, etiam quae in hac thesi dicta sunt de necessitate potestatis tum ordinis tum iurisdictionis imprimis de remissione peccatorum mortalium valent. Ad *venialium* peccatorum remissionem quod spectat, erant theologi qui, ut Dominicus Soto, existimarent, iurisdictionem non requiri, vel, ut Vasquez, censerent, vi ordinis omnem sacerdotem hanc iurisdictionem habere. At certum est, etiam ad venialia peccata remittenda specialem exigi iurisdictionem. Nam praeterquamquod decreto S. Officii d. d. 12 febr. 1679 cautum est, ne permittatur, „ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario", eadem sane dicenda est esse potestas a Christo concessa peccatorum quorumlibet remittendorum.

Thesis 15.

Forma sacramenti poenitentiae sunt 1. verba absolutionis „ego te absolvo etc.", eaque 2. prolata in praesentem.

Plura circa sacramenti poenitentiae formam quaeri possunt: an consistat verbis, quaenam sint haec verba, quomodo debeant proferri, an praeter verba aliud requiratur. Praecipua et quae certa sunt in ipsa thesi statuimus, reliqua plus minus incerta scholiis ad thesim adiectis tractaturi.

DEMONSTRATUR: **1.** Forma sunt *verba* „ego te absolvo etc."

Post Concilium Florentinum (Decr. pro Armenis) docuit *Concilium Tridentinum* (Sess. 14 cap. 3): „sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: «ego te absolvo etc.», quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae."

Convenientem esse hanc formam ita ostendit S. Thomas: „Hoc sacramentum non consistit in consecratione alicuius materiae nec in usu alicuius materiae sanctificatae, sed magis in remotione cuiusdam materiae, scilicet peccati . . .: talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur: «ego te absolvo»; nam peccata sunt quaedam vincula. Unde patet, quod haec est convenientissima forma huius sacramenti." [1])

---

[1]) S. Th. 3 q. 84 a. 3.

2. Verba absolutionis in *praesentem* proferri debent.

Quod licet nec ex ratione sacramenti nec ex ratione iudicii, quae utraque inest poenitentiae, invicte possit probari, tamen ipsa institutione sacramenti necessarium esse colligitur:

1. Ex *forma* ipsa huius sacramenti: forma enim sunt, ut declarant Concilia, „*verba* absolutionis, quae sacerdos *profert*, cum *dicit:* ego te absolvo"; quae sane omnia sensu obvio intellecta poenitentem praesentem supponunt.

2. Ex *praxi* Ecclesiae: ea enim et semper libris suis poenitentialibus sacerdotem exhibet loquentem nec unquam absolutionem sacramentalem in absentem validam agnovit, ita quidem ut S. Thomas non vereatur dicere: „in extrema necessitate utilius est confiteri laico praesenti quam sacerdoti absenti" [1].

3. Ex *decreto Clementis VIII* (1602), quod ita habet: „SS. D. N. . . . re mature ac diligenter considerata, hanc propositionem, sc. licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit, praecipitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur." [2] Iam vero haec Pontificis verba ostendunt, absolutionem huiusmodi in absentem latam nunquam non esse invalidam; invalida itaque dicenda est ex iure divino.

COROLLARIUM. Quoniam verba, quibus forma sacramentalis constituitur, sunt et significantia et efficientia, de forma sacramenti poenitentiae agentes quaerere possumus tum 1. quid *efficiant* illa verba „ego te absolvo", tum 2. quid *significent*.

1. Quaestioni priori facile respondetur ex iis, quae th. 10 probata sunt. Scilicet: absolutio sacerdotis vere *efficit* peccatorum remissionem, peccatorum, i. e. non modo poenae, sed etiam culpae. Atque hanc virtutem verbis absolutionis inesse patet non quidem ex se, sed prout a ministro sacramenti proferuntur idque ex institutione Christi. Audiatur S. Thomas: „Solus Deus per auctoritatem et a peccato absolvit et peccatum remittit. Sacerdotes

---

[1] S. Th. 4 dist. 17 q. 2 a. 4.

[2] *Suarezius* putavit, hanc damnationem sensu complexivo sumi debere, ita ut damnetur solus ille, qui dicit, sacramentum poenitentiae posse perfici inter absentes, non vero etiam ille, qui negat ipsam etiam confessionem sacerdoti praesenti fieri debere. At Paulus V (1605) in Congregatione S. Officii declaravit, decretum illud valere etiam in sensu diviso, i. e. tum de confessione sacramentali tum de absolutione seorsim spectata. Nihilominus hac damnatione, non prohibetur, quominus v. g. moribundus absolvatur qui per testes non quidem sacramentaliter confessus est, sed desiderium significavit confessionis peragendae. Cf. Palmieri in ‚Analect. eccles.' 1897, 264 sq.

tamen utrumque faciunt per ministerium, inquantum sc. verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis sacramentis. Nam virtus divina est, quae interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res sive verba . . . Unde et Dominus expressit utrumque: nam Matth. 16 dixit Petro, «quodcunque solveris super terram etc.» et Ioan. 20 dixit discipulis, «quorum remiseritis peccata, remittuntur eis». Ideo tamen sacerdos potius dicit: «ego te absolvo» quam «ego tibi remitto peccata», quia hoc magis congruit verbis, quae Dominus dixit, virtutem clavium ostendens, per quas sacerdotes absolvunt. Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, scilicet ut dicatur «ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti»: vel per virtutem passionis Christi vel auctoritate Dei; quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis.“ [1])

2. Quaeritur, quid *significent* seu quem sensum habeant verba in forma huius sacramenti. Respondet Lugo: „Sensus illorum verborum est, quem ipsa sonare videntur iuxta institutionem et impositionem humanam, scilicet: ego te absolvo a vinculis, vel tibi remitto offensam divinam, ita ut significatum directum harum vocum non sit infusio gratiae determinate, sed condonatio peccati.“ [2]) Verum quia remissio peccati mortalis non fit nisi infusione gratiae, haec etiam gratiae infusio verbis absolutionis adsignificatur.

At quomodo verba *vera* sunt, si homo ad gratiam non est sufficienter dispositus; et cum sacerdos de hac dispositione nunquam sit certus, quo pacto verba illa absolutionis absolute poterit proferre? Respondet S. Thomas: „Non loquitur sacerdos quasi de re incerta, quia sicut alia sacramenta novae Legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis, ita etiam in hoc sacramento.“ [3]) Intentio vero absolventis ex natura rei est aliquo modo semper conditionata. — Sed quid, quando peccata iam ablata fuerant per contritionem perfectam vel confessionem praecedentem? Respondet Lugo: „Dicimus in eo etiam casu esse vera verba, quia non mentitur qui post dimissum semel debitum vel offensam iterum rogatus dicit se dimittere. Nam sicut qui semel se obligavit alicui ad aliquid praestandum, potest iterum se ei obligare ad idem . . .: sic qui remisit debitum, potest iterum idem remittere; nam remittere in rigore est obligare se per cessionem iuris ad non utendum iure acquisito ratione offensae in ordine ad talem vel talem effectum.“ [4])

SCHOLION **1.** Celebris est quaestio de absolutionis forma deprecativa. Distinguitur enim *indicativa* forma et *deprecativa*. *Indicativa* est, quae licet solum grammatice spectata deprecationem vel imperium significet, re tamen et sensu, qui ex verbis simul sumptis colligitur, actuale potestatis ministerialis directe exhibet atque manifestat exercitium; prout fit in formulis „ego te absolvo“ et „Deus te absolvat per meum ministerium“. *Deprecativa* est, quae

---

[1]) S. Th. 3 q. 84 a. 3 ad 3.
[2]) Lugo, Disp. 13 sect. 3.
[3]) S. Th. l. c. ad 5.
[4]) Lugo, l. c.

per se non exhibet nisi hominis desiderium atque voluntatem, ut homo a Deo absolvatur; prout fit in oratione „misereatur tui etc.“ Iam vero duplex circa formam deprecativam est quaestio: altera *facti*, altera *iuris*. Quaestio facti est, an aliquando haec forma fuerit in usu; quaestio iuris est, an sit valida.

Ad *factum* quod attinet, Morinus, Martène aliique ex ritualibus vetustis probare nituntur, Ecclesiam Graecam et ante saec. 12 etiam Latinam forma deprecativa uti consuevisse; alii negant et contendunt, deprecativae formulae indicativam semper fuisse adiunctam, quamvis in Graecorum euchologiis propter disciplinam fortasse arcani fuerit omissa, et a Graecis recentioribus, si omittatur, teste Arcudio, graecarum rerum peritissimo, ex ignorantia omitti. [1]) At concedendum esse videtur, in orientalibus ecclesiis formam deprecativam in usu saltem frequentiore fuisse, quamvis forma haec eo sensu quo adhibebatur intellecta non nudam deprecationem exhibeat, sed deprecationem quae fit ex potestate.

Disputant pariter de quaestione *iuris*. Qua de re haec notanda videntur:

1. Ex positivo praecepto Ecclesiae (Conc. Flor. et Trid.) non licet uti nisi forma indicativa.

2. Indicativa forma certe est aptior. Nam „ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro dixit: «quodcunque solveris etc.», et per alia verba («misereatur etc.») sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat; praemittitur tamen etiam in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus sacramenti ex parte poenitentis.“ [2])

3. Sententiam, quae dicit, non debere formam proferri modo indicativo, merito S. Thomas appellat temerariam et praesumptuosam, tum quia audet reprehendere formam communem Ecclesiae Romanae, tum quia niti videtur fundamento falso, sc. non habere sacerdotem veram absolvendi potestatem. [3])

4. Quodsi denique quaeratur, utrum forma indicativa ita sit necessaria, ut si deprecativa adhibeatur, sacramentum sit nullum, putamus a. id ex verbis Christi colligi non posse; b. neque effici satis clare ex eo, quod verba sacerdotis sententiam iudicialem exhibere debeant, quoniam deprecatio quoque, quam iudex delegatus causa cognita profert, sententiam iudicialem satis exprimere videtur; c. neque tandem sive doctrina sive praxi Ecclesiae certo probari posse, formam deprecativam, si a sacerdote in poenitentem causa cognita proferatur, esse invalidam. — Breviter ergo dici poterit: „praescindendo a positivo Ecclesiae praecepto nobis perinde videtur, quoad rei substantiam, formam sive oratione indicativa sive deprecativa proferri.“ [4])

2. Quaeri potest, quae verborum mutatio reddat formam invalidam. „Regula generalis est, ita Lugo, illam mutationem, quae non destruit sen-

---

[1]) Arcud. De concord. utr. Eccl. 4, 3.

[2]) S. Th. 3 q. 84 a. 3 ad 1.

[3]) S. Th. Opusc. 22 c. 1. — Totum hoc opusculum ab Angelico contra auctorem anonymum conscriptum est ad formam indicativam commendandam.

[4]) Addit. Casinenses ad Bibl. can. Ferrar.

sum, sed retinet illum in aequivalenti, non nocere valori; e contra vero illam, quae non retinet sensum eundem saltem in aequivalenti, nocere.“ [1])

3. Quaeritur, utrum *impositio manus* sacerdotis ad hoc sacramentum requiratur. Certum est, multiplicem manus impositionem antiquitus in usu poenitentiae publicae fuisse. At si de sacramento poenitentiae agitur et de valore absolutionis sacramentalis, neque unquam necessarius habitus est in Ecclesia hic ritus nec est necessarius. Rationem reddit S. Thomas his verbis: „Impositio manuum in sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, et in sacramento ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis . . . . Sacramentum autem poenitentiae non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiae, sed ad remotionem peccatorum: et ideo ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio; sicut etiam nec ad baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum.“ [2])

Thesis 16.

Materia sacramenti poenitentiae sunt poenitentis actus: contritio, confessio, satisfactio.

Duplex distinguitur materia, remota et proxima. Iam vero quae sit materia poenitentiae *remota,* facile intelligitur. „Sunt, ut dicit S. Thomas, *peccata,* de quibus poenitens dolet et quae confitetur et pro quibus satisfacit . . . peccata non acceptanda, sed detestanda et destruenda“ [3]); peccata vero intelliguntur ea, quae post baptismum commissa sunt. Difficilior est quaestio de materia *proxima.* Conveniunt catholici omnes, aliquo sensu materiam proximam esse *actus poenitentis,* videlicet contritionem, confessionem, satisfactionem; eo scilicet sensu, quod hi actus omnino sunt necessarii neque sacramentum sine illis fieri potest. Quo vero modo actus poenitentis materiae rationem sibi vindicent, theologi disputant. Thesi autem hac mens nobis est nihil aliud probandi quam esse aliquo modo ac dici debere materiam sacramenti actus poenitentis. De quaestione, quomodo sint, in scholio pauca dicemus.

DEMONSTRATUR: Materia proxima poenitentiae poenitentis sunt *actus:* contritio, confessio, satisfactio.

1. Patet ex *Ecclesiae definitionibus.* Concilium Florentinum postquam declaravit omnia sacramenta „materia et forma“ constare,

---

[1]) Lugo, Disp. 13 sect. 6.

[2]) S. Th. 3 q. 84 a. 4.

[3]) S. Th. 3 q. 84 a. 2.

sacramenti poenitentiae dicit esse „quasi materiam actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes“. Concilium Tridentinum (Sess. 14 can. 4) haec habet: „Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur . . .: a. s.“

2. Patet ex doctrina *theologorum*. S. Thomas rem ita explicat: „In illis sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiae: ut accidit in poenitentia et matrimonio . . . . In sacramento poenitentiae sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna; unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante; sed complementum sacramenti exhibet minister, dum poenitentem absolvit.“ [1]) Convenienter vero tres illos actus recenseri poenitentiae materiam, sic ostendit idem Angelicus: „Requiritur ex parte poenitentis primo quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem; secundo quod se subiiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione; tertio quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione.“ [2]) — S. Bonaventura haec habet: „Materiale in hoc sacramento est humiliatio poenitentis, sive quantum ad actum contritionis, sive quantum ad verbum accusationis, sive quantum ad poenam satisfactionis; formale vero est absolutio sacerdotis.“ [3]) Similia idem Seraphicus alibi: „Si loquamur de poenitentia sacramento, sic contritio, confessio, satisfactio sunt partes integrales quantum ad esse perfectum: unde rationabiliter loquitur Magister cum dicit, quod in perfectione poenitentiae tria observanda sunt, sc. compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis; sic patet, quod nullum horum est perfectum sacramentum sine alio. Et si tu obiicias, quod non habent esse simul, dicendum, quod quamvis non sint simul actu, sunt tamen simul voto vel effectu: unde quando quis conteritur, habet confessionem et satisfactionem in proposito; et quando quis satisfacit, conteritur et habet duorum praecedentium effectum.“ [4])

SCHOLION. Aliquo igitur modo actus poenitentis poenitentiae sunt materia. At quaeritur, materia sint ne sensu stricto, sc. pars altera sensibilis minus determinata, quae una cum forma constituat signum sacramentale gratiam efficiens, materia nimirum quam vocant *ex qua*, an sint solum dispositiones necessario quidem requisitae ut sacramentum fiat, materia sc. sensu latiore accepta seu materia *circa quam*.

---

1) S. Th. 3 q. 84 a. 1.
2) S. Th. 3 q. 90 a. 2.
3) S. Bonav. 4 dist. 22 a. 2 q. 2.
4) S. Bonav. 4 dist. 16 p. 1.

Scotus hoc altero tantum sensu actus poenitentis materiam poenitentiae accipit; solam absolutionem sacerdotis integrum poenitentiae sacramentum esse contendens, „quia, inquit, sola ea significat gratiam solaque proinde gratiam praestat"[1]. „Certum omnino non est, ita Theologus Romanus, actus poenitentis materiam huius sacramenti esse; cum Tridentina Synodus non sacramenti materiam, sed quasi materiam dixerit, cumque theologi bene multi non materiam ex qua sacramentum fit, sed circa quam sacramentum versatur, actus illos constituant."[2] Argumentum vero, cui haec sententia innititur, praecipuum videtur esse illud, quod ex doctrina, quae in scholis ex aliquo iam tempore evasit communis, liceat absolutionem impertiri moribundo, qui se clavibus peccata subiicere exterius nullatenus significet; quo in casu, siquidem actus poenitentis, ut materia sint ex qua, exterius debeant manifestari, sacramentum foret nullum.

Sententia vero opposita, quae est, concedente Hiquaeo Scotista, „*D. Thomae* et communior inter modernos eius discipulos, quam sequuntur antiquiores etiam, ut D. Bonaventura", docet sacramentum constitui essentialiter tam ex absolutione quam aliis actibus poenitentis, ita ut actus poenitentis, licet non omnes aeque pertineant ad esse rei simpliciter, in sua tamen cum forma unione morali peccatorum remissionem et significent et efficiant. Atque hanc quidem sententiam negari non potest „magis consonam apparere Conciliorum Florentini et Tridentini definitionibus . . .; cum materia vel quasi materia sacramenti debeat pars ipsius censeri, videtur profecto necessarium esse, concedere ex his partibus constare hoc sacramentum."[3] — Quodsi quaeratur, quomodo actus poenitentis significent peccatorum remissionem, ita respondet Suarez: „Actus ipsius poenitentis non habent significationem sacramentalem nisi prout subiiciuntur clavibus et quodammodo uniuntur seu elevantur per actum clavis."[4] „Ceterum, ut notat Catechismus Romanus, ipse peccator, quem poenitet, rerum et verborum notis plane exprimit, se animum a peccati turpitudine abduxisse." Si vero quaeratur, qua ratione sint efficientes, haec respondet S. Thomas: „Omne sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae . . . Unde sicut remissio culpae fit in baptismo non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae sc. aquae, principalius tamen virtute formae, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit, ita etiam remissio culpae est effectus poenitentiae, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur quod est formale in hoc sacramento . . ., secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae."[5] Quibus concordat Concilium Tridentinum docens, in forma absolutionis „praecipue" sacramenti vim esse sitam. — Quod spectat illud, quod Tridentinum actus poenitentis solum „quasi" materiam declaravit, auctores huius sententiae ita respondent cum

---

[1]) Scot. 4 dist. 14 q. 4; dist. 16 q. 1.
[2]) Biblioth. canonic. Ferrar. ad n. 7 vocis ‚absolvere'.
[3]) Vega, Defens. Conc. Trid. 13, 15.
[4]) Suarez, Disp. 18 sect. 3.
[5]) S. Th. 3 q. 86 a. 6.

Catechismo Romano: „Neque vero hi actus quasi materia a s. Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione.“ [1]) — Ad argumentum denique, quod cum huiusmodi sententia conciliari nequeat doctrina de absolutione impertienda aegroto, qui nullum det signum sese clavibus subiiciendi, respondet S. Alphonsus: „Sufficiunt signa in tanta necessitate saltem ex prudenti dubio praesumpta (quae quidem in hac nostra natura composita pari iure videntur posse praesumi, quam poenitentia interna) ad dandam absolutionem sub conditione . . .; in casu enim extremae vel urgentis necessitatis licitum est uti materia dubia.“ [2])

COROLLARIUM. Ex omnibus, quae hucusque dicta sunt, intelligitur, quomodo poenitentiae sacramentum debeat *definiri.* Poenitentia sc. est sacramentum N. L. per modum iudicii a Christo institutum ad peccata post baptismum commissa homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittenda. Intelligitur pariter, quid sit in hoc sacramento illud, quod *sacramentum tantum* dici solet, quid *res tantum,* quid *res et sacramentum.* „In poenitentia, ita S. Thomas, est aliquid, quod est sacramentum tantum, scilicet actus exterius exercitus tam per peccatorem poenitentem quam etiam per sacerdotem absolventem; res autem et sacramentum est poenitentia interior peccatoris; res autem et non sacramentum est remissio peccati: quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem et secundum sunt quodammodo causa tertii.“ [3])

Thesis 17.

Ad remittenda peccata in sacramento poenitentiae sufficit attritio.

Primum locum inter poenitentis actus tenet contritio, i. e. detestatio et dolor peccati super omnia cum proposito non iam peccandi. Eam sicuti generatim ad peccatorum remissionem quamlibet, sic

---

[1]) Ceterum nequit negari, Concilium Tridentinum, postquam theologi plures in utramque partem disputaverint (cf. Theiner, Acta, post sess. 13), *consulto* abstinuisse a dicendi modo, qui utrilibet opinioni adversari videretur.

[2]) S. Alphons. De poenit. n. 482. — Atque haec suffecerint. Plura legi possunt apud scholasticos. Ex recentioribus Franzelin (De sacr. in gen. th. 4) sententiam defendit Thomistarum, Ballerini (Adnot. ad Compendium Gury n. 414 et 506) magis ad sententiam Scotistarum amplectendam propensum se ostendit, Palmieri (De poenit. th. 14) utrique sententiae suam plus minus competere probabilitatem demonstrat.

[3]) S. Th. 3 q. 84 a. 1 ad 3. — Per se patet, in sententia *Scoti,* quam in scholio exposuimus, haec paulo secus debere concipi et explicari. Definitio quam Scotus statuit poenitentiae sacramenti ita habet: „Poenitentia est absolutio hominis poenitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a sacerdote iurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animae a peccato“ (4 dist. 14 q. 4).

speciatim ad poenitentiae sacramentum requiri, satis probatum est et a nemine negatur. Duplex autem, ut audivimus, ea distinguitur: perfecta, quae simpliciter contritio vocatur, sc. ea quae detestatur peccata propter Deum summe dilectum; et imperfecta, quae attritio dicitur, sc. ea quae vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu concipitur. Contritio perfecta iustificat hominem, priusquam sacramentum actu suscipiatur. Probavimus porro, attritionem actum esse bonum, posse eam excludere affectum peccatorum quorumcunque etiam internorum, continere denique semper aliquo modo, sc. virtualiter, Dei amorem. Attritionem per se solam absque sacramento non iustificare, constat apud omnes. Quaeritur itaque, quantum valeat *attritio in ipso sacramento*. Sunt qui neque in sacramento attritionem ad hominem iustificandum sufficere putent, atque adeo etiam in sacramento perfectam contritionem requiri contendant: idque vel ita, ut nisi contritio perfecta re ipsa habeatur, etiamsi poenitens bona fide accedat existimans se esse contritum, nihilo secius non iustificetur; vel ita, ut si sola adsit attritio, eatenus sacramentum hominem iustificet, quatenus prius attritionem ipsam perfecerit atque in contritionem immutaverit; vel denique ita, ut per se requiratur contritio, et solum, si homo in bona existat fide, attritio sola sacramento coniuncta sufficiat. In sententia hac sufficientiam attritionis quomodocunque negante videntur ex veteribus fuisse complures, imprimis Magister; non erat tamen certe sententia communis. [1]) — Altera sententia est, ut sacramentum poenitentiae producat effectum suum, sufficere peccatorum attritionem, sive cognita sit ea sive non. Est haec procul dubio

[1]) Ex Protestantibus recentioribus plurimi, ut Dieckhoff, Bratke, Harnack, opinantur, vetustiores Scholasticos non secus ac Patres contritionem perfectam existimavisse omnino necessariam etiam in sacramento poenitentiae suscipiendo, et solum inde a saeculo 12 invectam fuisse doctrinam de sufficientia attritionis. Contrarium prorsus statuit K. Mueller putans, doctrinam de necessitate contritionis perfectae eousque ignotam a Scholasticis saeculi 12 introductam fuisse. Utrumque falsum. Omnes sane catholici contritionem aliquam nunquam non habuerunt necessariam. De indole huius contritionis accurate definienda non semper erant solliciti. Admitti praeterea potest, aliquos Scholasticos putavisse, etiam in sacramento poenitentiae seu potius antequam hoc sacramentum suscipiatur contritionem perfectam necessariam esse. At certe non multi. Quid singuli hac in re senserint, ut clare statuatur aliquatenus impedit usus loquendi tunc temporis nondum satis fixus ac constans. Cf. Palmieri th. 26; Mausbach in ‚Katholik' 1897, 48 sq.; 97 sq. — Ex veteribus praeter *Magistrum* etiam *Alex. Halensis*, *S. Bonaventura*, *Biel* vulgo feruntur sufficientiam attritionis in sacramento poenitentiae negavisse; at Editores ‚Ad claras aquas' (4 dist. 18 p. 1 a. 2) probare nituntur *S. Bonaventuram* non recessisse a sententia communi.

sententia S. Thomae, et post Concilium Tridentinum ita evasit communis, ut S. Alphonsus non vereatur dicere: „*Certum* et *commune* est apud doctores, non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem.“ [1]) Hinc liquet, in usu sacramenti hanc sententiam practice sequi nos posse.

Certum quidem est atque historia Concilii exploratum, noluisse Patres Tridentinos definitionem hac in re edere; attamen hoc non impedit, quominus ita sint locuti, ut mens eorum perspicue appareat et ex iis, quae proponant credenda, certo colligatur, quid hac in re ad fidei depositum pertineat. Ex iis igitur, quae Concilium Tridentinum docuit credenda, sufficientiam attritionis in poenitentiae sacramento colligemus, considerantes tum quae de hoc sacramento eiusque efficacia tum quae de ipsa docuit attritione.

DEMONSTRATUR: In sacramento poenitentiae *sufficit attritio.*

1. Probatur ex indole *sacramenti poenitentiae.*

Vera est, quemadmodum th. 10 audivimus, potestas remittendi peccata, quae sacramento poenitentiae exercetur; vera autem potestas remittendi non est, ut per se patet, nisi quae vel remittat peccatum praesens vel saltem valeat aliquando peccatum praesens remittere. Atqui si requiratur ad remissionem peccati in sacramento poenitentiae contritio, utpote quae, ut th. 5 probatum est, immediate peccatum deleat, nunquam fieri potest, ut potestas illa exerceatur in peccata praesentia. Ergo non requiritur contritio.

Quamobrem iure merito de illa Magistri sententia, sacerdotes per absolutionem non tollere peccatum, animadvertit Scotus: „Istud videtur nimis derogare sacramento poenitentiae. Nam secundum hoc per sacramentum poenitentiae nunquam deleretur peccatum, sed necesse esset prius deleri per contritionem ad hoc, quod digne susciperetur sacramentum poenitentiae.“ [2]) — Idem Doctor subtilis ibidem haec accuratius: „Ante perceptionem dignam poenitentiae oportet suscitari vel simpliciter, et tunc per poenitentiae sacramentum non deletur peccatum, sed gratia quae infuit augetur; vel suscitari secundum quid, sc. ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis et propositum cavendi de cetero et velit suscipere sacramentum poenitentiae, in quo attritio fit contritio [3]), et tunc suscitatur simpliciter per sacramentum.“

---

[1]) S. Alphons. 6 n. 440. — Post Concilium Tridentinum etiam in usu sacramenti contritionem perfectam per se requiri docent *Morinus, Iuenin, Berti, Collet, Witasse.*

[2]) Scotus 4 dist. 14.

[3]) Proprio sensu sacramentum nequit attritionem mutare in contritionem. Nam „quorum principia sunt diversa omnino, eorum non potest fieri unum id, quod est alterum; sed attritionis principium est timor servilis,

Est haec eadem doctrina S. Thomae. Quod quidem perspicuum efficitur ex his: „Nihil prohibet, quin aliquando virtute clavium alicui confesso ipsa absolutione gratia conferatur, per quam ei culpa dimittitur“ [1]. Et clarius etiam ex his quae idem de baptismo docet: „Baptismus et poenitentia conveniunt quodammodo in effectu, quia utrumque contra culpam ordinatur directe, quod non est de aliis sacramentis“ [2]; et „ad hoc quod homo praeparet se ad gratiam in baptismo percipiendam praeexigitur fides, sed non caritas, quia sufficit dispositio praecedens etsi non sit contritio“ [3]; et denique: „baptismus et poenitentia sunt quasi medicinae purgativae, quae dantur ad tollendam febrim peccati, Eucharistia vero est medicina confortativa, quae non debet dari nisi liberatis a peccato“ [4]. Ad quae ita Dominicus Soto: „Observa comparationem hanc qua baptismum simul cum poenitentia componit: unde Thomistae inferunt, quod, sicut D. Thomas dixit, posse quempiam accedere cum conscientia peccati mortalis ad baptismum, scilicet cum attritione, cognoscens se non esse contritum, possit pariter et ad poenitentiam.“ [5])

2. Probatur ex iis, quae Concilium Tridentinum docet de *attritione*.

1. Contritio generice spectata, quae cap. 4 in duplicem dividitur speciem, perfectam sc. et imperfectam seu attritionem, cap. 3 dicitur pars et una cum confessione et satisfactione quasi materia sacramenti poenitentiae, quae quidem quasi materia una cum forma exhibetur constituere integrum sacramentum. Atqui quod de genere in recto enuntiatur, singulis competit speciebus. Ergo ex mente Patrum Tridentinorum etiam attritio una cum confessione et satisfactione ita est pars et quasi materia poenitentiae, ut ex iis una cum forma totum et integrum coalescat sacramentum.

---

contritionis autem timor filialis: ergo attritio non potest fieri contritio“ (S. Th. Suppl. q. 1 a. 3). Qua vero ratione Scholastici mutationem illam intellexerint, hoc hisce explicabitur: „Id intelligimus, ex attrito fieri contritum, gratiam et sanctificationem consequi virtute sacramenti, perinde ac si vere esset contritus; non autem ac si inesse incipiat actus aliquis, qui est proprie contritio ex Dei super omnia dilecti amore procedens“ (Tapperus, De poenit. a. 4).

1) S. Th. C. gent. 4, 72.

2) S. Th. 4 dist. 18 q. 1 a. 3.

3) S. Th. 4 dist. 6 q. 1 a. 3.

4) S. Th. 3 q. 80 a. 4 ad 2.

5) Dom. Soto, 4 dist. 12 q. 1 a. 4. — Citantur quidem Angelici Doctoris effata nonnulla, quae oppositae sententiae favere videntur. At testimonia huiusmodi vel loquuntur de iustificatione, quae fiat ex opere operantis (3 q. 85 a. 2), vel loquuntur hypothetice et ex sententia Magistri (4 dist. 17 q. 3 a. 4; Suppl. q. 9 a. 1).

2. Attritionem cap. 4 bonum motum esse declarat, qui, „quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit". Atqui vis huiusmodi disponendi, qua caret attritio extra sacramentum, intelligi nequit nisi talis, quae immediate et proxime ad gratiam disponat, ita ut aliud non requiratur. Ergo ad gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam ex mente Concilii sufficere censenda est attritio. [1])

— Iure merito igitur ex Concilio Tridentino theologi sufficientiam attritionis collegerunt. „Quamvis poenitens accedat in peccato cum sola attritione, recipit virtute sacramenti gratiam et remissionem, ut definit sacrum Concilium Tridentinum Sess. 14 cap. 4." [2])

COROLLARIUM. Probatum est, in sacramento poenitentiae sufficere attritionem. Sufficit ergo *omnis* attritio, modo sit talis qualem Concilium Tridentinum exigit, i. e. excludens voluntatem peccandi et cum spe veniae i. e. modo sit vera attritio.

Nihilominus sunt, et in his Pallavicinus, qui cum attritione saltem aliquem *amorem initialem* etiam in sacramento poenitentiae requiri doceant innixi praesertim cap. 6 sess. 6 eiusdem Concilii, ubi qui ad iustificationem per baptismum obtinendam se disponunt, dicuntur „incipere diligere Deum tamquam omnis iustitiae fontem." Breviter respondeatur: 1. Amor aliquis initialis semper cum vera attritione dici poterit esse coniunctus, quemadmodum th. 3 declaratum est. 2. Concilium l. c. enumerat dispositiones omnes, quae requiri possunt ad iustificationem, quaeque sufficiunt ad iustificationem obtinendam ex opere operantis, ideoque actum quoque perfectae caritatis; quem quidem Patres Tridentini illis verbis significare videntur. [3])

Ceterum limites ac modum hac de re disputandi constituit decretum Alexandri VII (1667), quo praecipitur fidelibus cunctis, „ut si deinceps de materia attritionis scribent vel libros aut scripturas edent vel docebunt vel praedicabunt vel alio quovis modo poenitentes aut scholares ceterosque erudient, non

---

[1]) Quod Patres attinet, haec suffecerit ex Morino (Comment. de poenit. 1, 13) animadvertisse: „Quod mihi durum videtur, est, Patres solum contritionem existimasse necessariam ad confessionem. Licet enim antiqui nomen attritionis non agnoverint, nedum axioma «attritionem in sacramento fieri contritionem», rem tamen ipsam hoc axiomate significatam non modo docuerunt, verum etiam ut principium et omnis disciplinae poenitentialis fundamentum maximopere commendarunt."

[2]) Barth. de Medina, Instruct. c. 2. — Contra theologos catholicos sufficere attritionem negantes dicta sunt haec. Quod si Protestantes spectas, iure optimo contra eos haec animadvertit Bellarminus (2, 18): „Discipuli Lutheri, qui contritionem in terroribus constituunt et soli fidei ex verbo absolutionis conceptae, quae terrores illos consequitur, iustificationem adscribunt, nullo modo negare possunt, quin attritio et sola non sufficiat et cum absolutione sufficiat, ut in Concilio Tridentino declaratum est."

[3]) Cf. Benaglio, Dell' attrizione 2.

audeant alicuius theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum."

SCHOLION **1.** Quaerunt, utrum contritio confessionem necessario *praecedere* debeat. Non videtur; nam etiam in sententia, quae docet actus poenitentis materiam esse ex qua ideoque contritionem aliquo modo sensibilem esse oportere, potest satis sensibilis reddi per confessionem praecedentem; „poenitens enim, ita Lugo, deferendo sua peccata in ordine ad absolutionem, ostendit se vel doluisse vel quod saltem dolebit de peccatis ante absolutionem." [1])

2. Cum ex indole propria actuum nostrorum internorum fieri possit, ut reipsa non sint tales, quales esse putamus, fieri posse videtur, ut contritionis quoque et attritionis actus bona fide censeatur in animo adesse, quamvis non adsit talis qualis esse oportet. Quaeritur utrum in sacramento poenitentiae sufficiat attritio *existimata.* Respondet Suarezius: „Ad consequendam remissionem peccati mortalis per hoc sacramentum necessaria est vera attritio in re ipsa existens: unde si aliquis sine attritione illud recipiat cum quacunque ignorantia invincibili sive iuris sive facti, excusabitur quidem a nova culpa, non tamen consequetur effectum" [2]); non enim adhibet medium necessarium. Ceteroquin, ita Palmieri, „si homo facit quantum potest, confidere profecto licet, quod in ipso actu confessionis perficietur eius attritio, ut vere sit qualis existimatur." [3])

3. Ex his praeiudicata iam poterit censeri quaestio, utrum sacramentum poenitentiae validum esse possit et simul *informe.* Sacramentum aliquod validum est et informe, quando tota existit sacramenti essentia, quin tamen impediente suscipientis fictione producatur effectus i. e. gratia. Informitas huiusmodi in hoc sacramento certe, si habeat locum, admitti non poterit nisi propter defectum doloris. Iam vero si attritio vera non adsit, ex scholio praecedente consequitur sacramentum nec esse validum. Quid autem, si quis duplicis peccati reus vel ex oblivione de altero tantum doleret vel ex ignorantia invincibili putaret non requiri de omnibus attritionem? Lugo in his casibus sacramentum poenitentiae censet esse validum et simul informe; idque Thomistas communiter docere dicit. [4]) Verum difficulter intelligitur id posse contingere. Certum enim est, attritionem, ut sit vera, debere huiusmodi esse, ut saltem virtualiter homo proponat non amplius peccare; quod quidem propositum sine aliquo dolendi motivo, quod ad omnia se extendat peccata, concipi non potest. Aderit ergo vera attritio: et sacramentum poenitentiae non erit informe; non aderit vera attritio: nec sacramentum validum erit.

---

[1]) Lugo, Disp. 14 sect. 2.
[2]) Suarez, Disp. 20 sect. 2.
[3]) Palmieri, De poenit. th. 32.
[4]) Lugo, Disp. 14 sect. 6.

Thesis 18.

Ad remissionem peccatorum post baptisma commissorum est iure divino necessaria eorundem integra confessio.

Secundus poenitentis actus est *confessio.* Vox confessionis (ἐξομολόγησις) in usu loquendi Scripturarum et Patrum multipliciter quidem accipitur [1]; sensu tamen obvio, qui, nisi ex contextu aliud appareat, semper praesumitur quique etiam proprius vocis sensus est apud profanos, aliquam significat accusationem propriae culpae. „Confiteor (ὁμολογέομαι), sic Forcellini, idem quod fateor h. e. manifesto et dico, quod a me quaesitum est; fere autem de his dicitur, quae sciri nollemus et dicere pudet." — Sermo nobis est de confessione *peccatorum,* quae definitur accusatio suorum peccatorum post baptisma commissorum ad eorum veniam obtinendam sacerdoti potestatem habenti facta. Confessio, si modum spectes quo fiat, vel est *secreta,* quam auricularem vocant, vel *publica.* Si id spectes quod accusatur, confessio vel est *generalis,* quando sc. quis solum in genere fatetur se peccasse, vel est plus minus distincta seu *integra,* consistens in accusatione peccatorum singulorum; eaque si omnia, quorum quis conscientiam habet, complectitur peccata, *formaliter* dicitur distincta, si omnia simpliciter, etiam *materialiter* est distincta.

Circa confessionem erravit *Wicleffus* asserens confessionem omnem superfluam esse ei, qui debite fuerit contritus. [2]) Erraverunt *Petrus de Osma* [3]), *Erasmus Roterodamus* [4]) et *Beatus Rhenanus* [5]), docentes confessionem singulorum peccatorum non semper in usu fuisse Ecclesiae, nec divino iure esse institutam. Erraverunt *Lutherus* et *Calvinus,* quorum prior quamvis confessionem aliquando (in visit. Saxonica) declaret utilem [6]), non tamen eam a Deo fuisse prae-

---

1) Idem significat vox germanica „beichten" quae prius erat „peijëhan" et derivatur a „jëhan", goth. „aikan", lat. „aiere".

Vox ἐξομολόγησις, quae apud latinos quoque Patres est frequentissimâ saepe non solum delicti confessionem, sed universam etiam poenitentiae actionem, praesertim vero poenitentiam publicam significat.

Quod Septuaginta interpretes, N. T. scriptores et Vulgata vocibus saepe utuntur ἐξομολογεῖσθαι et ‚confiteri' in sensu laudis et gratiarum actionis, inde factum esse videtur, quod Hebraei et Syri unam ad utrumque significandum conceptum, accusationis sc. et laudis, adhibent vocem יָדָה

2) Cf. art. 7 et 45 damn. a Conc. Constant. sess. 8.

3) Cf. propos. a Sixto IV damnatas 1—4.

4) Cf. annot. ad ep. S. Hieronym. de obitu Fabiolae et ad cap. 19 Actor.

5) Cf. annot. ad Tertull. de poenit.

6) Scilicet: „propter iuventutem indomitam et petulantem, ut instituatur et examinetur in doctrina christiana." Artic. Schmalcald. p. 3 c. 8.

ceptam vel ex Scripturis probari posse agnoscit[1]); alter confessionem rem dicit „pestilentem“ et praeterea audacter affirmat liberum omnino fuisse in Ecclesia confessionis usum, „donec Innocentius III cum pauculis cornutis bestiis laqueum hunc populo christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt.“[2])

Contra quos errores *Concilium Tridentinum* (Sess. 14), postquam (cap. 5) plenam tradidit doctrinam catholicam de divina institutione ac necessitate confessionis sacramentalis, haec definivit:

Can. 6. „Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum: a. s.“

Can. 7. „Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia: a. s.“

Can. 8. „Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus christifideles, iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse christifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae: a. s.“

Can. 9. „Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut

---

[1]) De capt. Babyl. et passim.

[2]) Calvin. Inst. 3. — Inde quod ab Innocentio III confessio saltem semel in anno peragenda praescribitur, etiam hodie Protestantes absurde concludunt, tunc temporis confessionem ipsam fuisse institutam. „Seit Innocenz III es zum Gesetz erhob, dass jeder mindestens einmal im Iahre alle seine Sünden beichte, galt die Ohrenbeichte als nöthig, um als Analogon göttlicher Allwissenheit den richterlichen Spruch des Priesters möglich zu machen.“ Hase, Evang. protest. Dogmatik. § 199.

dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit: a. s."

Itaque ab Ecclesia definitum est: confessionem, i. e. accusationem omnium et singulorum peccatorum gravium post baptisma admissorum, esse *institutionis divinae* eamque esse prorsus *necessariam*, ita quidem, ut si re haberi nequeat, habeatur saltem voto; hanc porro confessionis a Christo institutae necessitatem et semper in Ecclesia creditam fuisse et iure colligi inde quod Christus remittendorum peccatorum potestatem a se institutam voluit esse iudicialem. Definivit igitur Ecclesia et rem ipsam, quae agitur, et argumenta simul suppeditavit, quibus res probatur.

DEMONSTRATUR: Confessio a *Christo* instituta est peccatorum remittendorum *medium necessarium*.

1. Probatur ex ipsa *potestate remittendorum peccatorum*.

Christus potestatem remittendorum peccatorum ita instituit, ut a. peccata omnia, quae remittantur, ministerio huius remittantur potestatis, b. non omnia indiscriminatim remittenda sint, sed vi illius potestatis aut remittantur aut retineantur pro merito hominis peccatoris, satisfactione etiam congrua pro peccatis remittendis imposita: verbo, Christus peccata omnia sententia *iudiciali* remitti voluit. Quod quidem thesibus 11 et 12 abunde probatum est.

Atqui remissio peccatorum iudicialis rite fieri non potest sine peccatorum confessione. Sententia enim iudicialis rite ferri nequit nisi causa, quantum fieri potest, cognita; id quod consequitur tum ex natura potestatis iudicialis qualiscunque, cuius exercitium sine distincta causae cognitione ne concipi quidem potest, tum maxime ex natura sententiae iudicialis, quae reis secundum aequitatem poenas iniungere debet. Iam vero peccatorum remittendorum causa cognosci nequit, nisi poenitens ipse hanc notitiam suppeditet ac sua ipse peccata declaret; quod patet tum inde quod ex Christi institutione poenitens actibus suis se clavibus subiicere tenetur, tum inde quod poenitens solus suorum peccatorum, quae saepe occulta atque interna sunt, testis est idoneus.

Ergo Christus confessionem instituit peccatorum remittendorum medium necessarium.

2. Probatur ex *positivis testimoniis depositi fidei*.

1. *Scriptura* ipsa factum videtur agnoscere confessionis alicuius peccatorum: „Multique credentium veniebant confitentes (ἐξομολογούμενοι) et annuntiantes actus suos (πράξεις sc. actus superstitiosos)" (Act. 19, 18). Praeterea exhortationem ad peccatorum confessionem peragendam multi reperiunt in his: „Si confiteamur (ὁμολογῶμεν) peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra"

(1 Ioan. 1, 9). „Probet (δοκιμαζέτω) autem seipsum homo, et sic de pane illo edat“ (1 Cor. 11, 28). „Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum . . . . Confitemini ergo alterutrum peccata vestra (ἐξομολογεῖσθε οὖν ἀλλήλοις τὰς ἁμαρτίας)“ (Iac. 5, 14 sq.). Atque haec satis probabiliter de confessione sacramentali intelliguntur. Nam a. christifideles, qui se ad peccata confitenda teneri certissime noverant, haec audientes non poterant non cogitare de confessione sacramentali; b. Patres haud pauci de confessione sacramentali agentes ad verba illa aperte provocaverunt.

2. *Patres* peccatorum confessionem et agnoscunt et ut quid necessarium praedicant.

In *Doctrina Apostolorum* ut quid ad solemnem orationem praevium exigitur: „In ecclesia confiteberis (ἐξομολογήσῃ) peccata tua, neque accedes ad orationem (προσευχήν) tuam in conscientia mala“; et rursus: „Die dominica convenientes frangite panem et Eucharistiam celebrate, postquam delicta vestra confessi estis (προεξομολογησάμενοι), ut sit mundum sacrificium vestrum.“ [1]) Patet hic non tam poenitentiam significari publicam quam potius confessionem, quae fiat sane in ecclesia, privatam ad conscientiam exonerandam.

Clemens Romanus haec habet: „Melius est homini peccata sua confiteri (ἐξομολογεῖσθαι περὶ τῶν παραπτωμάτων), quam indurare cor suum.“ [2]) *Irenaeus* narrat, mulieres quasdam a Gnosticis circumventas ac corruptas postea conversas „cum reliquo errore et hoc confessas esse (ἐξωμολογήσαντο)“, et postea rursus aliquas „in manifesto exomologesim fecisse“ [3]).

Clemente Alexandrino teste „secunda poenitentia“ ideo difficilis est, quia peccator „debet erubescere, ut qui non amplius lavetur in remissionem peccatorum“, et illud „qui seminant in lacrimis, in exultatione metent“, dictum est de iis, „qui confitentur in poenitentia“ [4]).

Secundum *Origenem* est aliqua, „licet dura et laboriosa, per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum . . . et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam secundum eum qui ait: dixi, pronuntiabo adversum me iniustitiam meam Domino, et remisisti impietatem cordis mei; in quo impletur et illud: si quis infirmatur etc.“ Idem Origenes haec habet: „Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam aut humoris aut phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur:

---

[1]) Doctr. Apost. 4, 14; cf. Barn. 19, 12 et 14, 1.
[2]) Clem. Rom. 1 Cor. 51, 3.
[3]) Iren. Adv. haer. 6, 3; 13, 6.
[4]) Clem. Alex. Strom. 2, 13.

etiam hi qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati; si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semet ipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam, ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris; si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est.“ [1])

Tertullianus pro eodem fere habet poenitentiam et confessionem: „Exomologesis est petitio veniae, quia qui petit veniam, delictum confitetur.“ [2]) Idem falsam increpat verecundiam: „Plerosque hoc opus (i. e. exomologesis) ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis, velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione medentium vitant conscientiam et ita cum erubescentia sua pereunt. Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatis hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?“

Cyprianus laudat eos, „qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet modicis vulneribus exquirunt.“ Deinde lapsos omnes sic hortatur: „Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.“ [3])

Ambrosius: „Non potest quisque iustificari a peccato, nisi ante confessus fuerit peccatum.“ Et rursus: „Ostende medico vulnus tuum, ut sanari possis.“ [4])

---

[1]) Origen. In Levit. hom. 2, 4; in Ps. 37, 66.

[2]) Tertull. De orat. 7; De poenit. 9 sq.

[3]) Cyprian. De lapsis 28 sq.

[4]) Ambros. De parad. 14, 71; De poenit. 2, 66. — Paulinus (Vita S. Ambr. 39) narrat S. Ambrosium saepe flentem peccatores confitentes au-

Hieronymus: „Si quem serpens diabolus occulte momorderit et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit et poenitentiam non egerit nec vulnus fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater, qui linguam habent ad curandum, prodesse non poterunt.“ [1])

Augustinus imprimis testatur in Ecclesia omnium criminum etiam post baptisma posse obtineri remissionem, dummodo pro peccatorum merito agatur poenitentia: „Neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia Dei misericordia desperanda est agentibus poenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati.“ Cuius rei rationem deinde repetit ex clavium potestate a Christo Ecclesiae eique soli collata: „Recte constituuntur ab iis, qui ecclesiis praesunt, tempora poenitentiae, ut fiat satis etiam Ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur: ipsa namque proprie Spiritum Sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata ita, ut quibus remittuntur consequantur vitam aeternam.“ [2]) — Quocirca hortatur Augustinus eos, qui post baptisma peccaverunt, ut ad Ecclesiae claves confugiant, „quibus clavibus quodcunque in terra solvitur, etiam in coelo solutum promittitur.“ [3]) Neque ullo modo sufficere docet, quod quis coram Deo solo velit poenitentiam agere: „Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago; novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: quae solveritis etc.? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? Frustramus evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus nobis, quod ille negat? Nonne nos decipimus?“ [4]) Penes Ecclesiae antistites porro erit iudicium, cuiusmodi poenitentia agenda sit: „A praepositis sacramentorum (peccator) accipiat satisfactionis suae modum . . . ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est atque hoc expedire utilitati Ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset.“ [5]) Quodsi denique peccatorum manifestatio sacer-

---

divisse et „causas criminum, quae (quis) illi confitebatur, nulli nisi Domino locutum esse“. Ipse Ambrosius ne ipse, quem Deus „ad sacerdotium vocavit“, „sacerdos periret“, Dominum sic rogavit: „Da ut condolere norim peccantibus affectu intimo . . ., quotiescunque peccatum alicuius lapsi exponitur, compatiar nec superbe increpem, sed lugeam et defleam, ut dum alium fleo, meipsum defleam“ (De poenit. 2, 73).

[1]) Hieronym. In Eccl. 10.

[2]) Augustin. Enchir. 65.

[3]) Augustin. Sermo 351, 12.

[4]) Augustin. Sermo 392, 3.

[5]) Augustin. Sermo 351, 9.

dotibus facienda difficilis videatur, Augustinus monet pudorem falsum deponendum esse: „Neminem vulnus suum pigeat confiteri; quia non potest sine confessione sanari. Apud saeculi iudicem publicatum, hic vero occultum crimen interficit . . . Nec pudeat aliquem poenitere, quem peccare non puduit. Si enim similes nobis homines erubescimus, quid in iudicio faciemus Dei, ubi adstantibus angelis, praesidente Christo, concilio simul iudicante sanctorum, omnia cordis nostri secreta nudanda sunt? Aut quae amentia est cogitare de temporali pudore peccati et non cogitare de aeterno dolore supplicii?“ [1])

Anastasius Sinaita: „Confitere Christo per sacerdotes peccata tua. Condemna actiones tuas et ne erubescas. Est enim pudor, qui adduxit peccatum, et est pudor, qui gloriam et gratiam parit. Condemna te in conspectu hominum, ut coram angelis totoque mundo iudex iustificet.“ [2])

Leo M., clarissime distinguens poenitentiam privatam et publicam, illam solam iuris divini esse docet: „Illam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper cognovi ab aliquibus illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta.“ [3])

— Atque haec sufficiant. Ex testimoniis his, quorum numerus magnopere posset augeri, aperte concluditur: 1. peccata *omnia* etiam quae occulta et interna sunt, ut remittantur, esse manifestanda; 2. confessionem huiusmodi non solum utilem esse, sed prorsus *necessariam;* 3. eam fieri oportere non homini cuilibet, sed *sacerdotibus,* quibus a Christo facta est peccatorum remittendorum facultas; 4. hoc sancitum esse non aliquo hominum decreto, sed *iure divino,* quod quidem ex potestate clavium consequitur; 5. hanc fidem et *ubique* et *semper* praedicatam fuisse; 6. ex sacerdotum iudicio peccata nonnunquam etiam *publice* accusanda fuisse. [4])

---

[1]) Augustin. Sermo 171 de poenit. 1 ed. a Mai.

[2]) Anast. Sin. De sacra synaxi 5. Alios Patres Syros cf. apud Bickel in ‚Zeitschr. für kath. Theologie‘ 1877, 410 sq.

[3]) Leo M. Epist. 168, 2 ad episc. Camp.

[4]) Patet, quam falso etiam recenter *Lea* (A history of Confession) affirmet, Patres et nominatim S. Augustinum non agnoscere nisi poenitentiam publicam, non vero confessionem sacramentalem medium necessarium ad peccata remittenda.

Protestantes recentiores, ut Loening, Hinschius, Hauck, Steitz, Harnack, confessionis privatae originem ex consuetudine ac praxi *monachorum* anglorum et francorum accusandi delicta in foro externo, cuiusmodi praxis in eorum *libris*

3. Probatur ex *consensu utriusque Ecclesiae.*

Tempore quo a Wicleffo primum confessionis divina origo ac necessitas negata est, Ecclesia orientalis et occidentalis in hac fide consentiebat. Quod quidem Ecclesiam graecam attinet, sufficit legere Confessionem Orthodoxam, quae haec habet: „Cordis contritionem sequi debet viva voce singillatim facta omnium peccatorum confessio (ἡ διὰ στόματος ἐξομολόγησις πάντων τῶν ἁμαρτημάτων καθ' ἕκαστον); nihil enim solvere pater spiritualis potest, ubi nihil solvendum deprehendit, nec poenam mulctamque ideo imponere.“ [1]) Quam fidem Graeci disertis etiam verbis professi sunt contra Protestantes in Confutatione Confessionis Augustanae et in Synodis Constantinopolitana (a. 1642) et Hierosolymitana (a. 1672) contra Cyrillum Lucarim habitis. In illa Confutatione v. g. haec scribit Ieremias Patriarcha: „Respondemus confitentem, quoad possit et recordetur, peccata particulatim debere exponere idque corde contrito et humiliato.“ [2])

4. Ad probandam confessionem divinitus institutam afferri solent etiam *rationes theologicae.*

Inter quas illae videntur esse praecipuae, quae demonstrant, quantopere confessio auricularis et sit consentanea naturae tum hominis universim tum praesertim hominis peccatoris, et utilis sit atque salutaris tum poenitentibus ipsis tum humanae societati universae. „Omnibus fere piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia, summo Dei beneficio, conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse“ (Catech. Rom.)

Audiantur hac de re pulcherrima Leibnitii verba: „Totum hoc institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si

---

poenitentialibus proditur, repetere conantur. — Sic v. g. Loening (Geschichte des deutschen Kirchenrechts): „Das ganze spätere Buss- und Beichtwesen der katholischen Kirche entsprang der Ausdehnung der Klosterdisciplin auf die Laienwelt.“ Verum haec inepta sunt. Nam, quamquam concedi potest, confessionem etiam venialium peccatorum aliquo modo ortum vel potius incrementum cepisse ex illo monachorum usu, peccatorum mortalium confessionem et originem divinam et necessitatem satis superque hac thesi probatam esse censemus. Cf. ceteroquin *Schmitz*, Bussbücher I et II, ubi praeter illa iuris particularis poenitentialia etiam *Romanum* aliquod poenitentiale in usu fuisse suadetur.

[1]) Conf. Orthod. 1, 113. — Est haec ὀρθόδοξος ὁμολογία catechismus, qui, quoad substantiam dudum iam Russorum lingua divulgatus, graece demum versus ab orientis Patriarchis a. 1643 liber fidei suae symbolicus tum contra Calvinistas tum contra Catholicos editus est; cf. Kimmel in ‚Monum. fidei eccl. orientalis‘ proleg. 5. Cf. etiam apud eundem Kimmelium Metrophanis Critopuli Confessionem c. 10.

[2]) Quoad alias sectas cf. Denzinger, Rit. orient. I, 434 sq.; Assemani, Biblioth. orient. II.

quid aliud, hoc certe in christiana religione praeclarum et laudabile est, quod et Sinenses ac Iaponenses sunt admirati; nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem praestat, ut adeo putem pium, gravem et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem; prodest enim consilium eius ad regendos affectus, ad animadvertenda vitia nostra, ad vitandas peccatorum occasiones, ad restituendum ablatum, et reparandum damnum datum, ad dubia eximenda, ad erigendam mentem afflictam, ad omnia denique animae mala aut tollenda aut mitiganda. Et cum fideli amico vix quicquam in rebus humanis praestantius reperiatur, quanti est eum ipsa sacramenti divini inviolabili religione ad fidem servandam opemque ferendam adstringi? Quamvis autem olim, ubi maior erat fervor pietatis, publica confessio et poenitentia inter christianos usurparetur, nihilominus ut infirmitati nostrae consuleretur, placuit Deo, ut per Ecclesiam ostenderetur fidelibus sufficere confessionem privatam apud sacerdotem adhibito silentii sigillo, quo magis confessio Deo facta ab omni humano respectu sequestraretur." [1])

OBIICITUR. 1. Christus nullibi legitur praeceptum dedisse ullum peccata confitendi.

Resp. a. Nego. Dedit enim discipulis potestatem peccata vel dimittendi vel retinendi, id quod rite fieri nequit nisi peccator peccata confiteatur; iam vero qui finem necessarium instituit, media quoque praefinivit quae sunt ad finem illum necessaria.

b. „Voluit Christus, ut a temetipso surgeres, ut non quasi extorta vel coacta videretur confessio tua. Idcirco quod ad se pertinuit, officium suum discipulis suis peragendum iniunxit, ut medicorum more aegros ad se venientes exciperent et sanarent. Medicis ergo dixit ut curarent, sed infirmis non dixit (sc. verbis explicitis), ut

---

[1]) Leibnit. Syst. theol. 55. — Quanti illi confessionis sacramentalis sint fructus, ipsi Protestantes, qui eam sustulerant, vel inviti agnoverunt. Qua de re *Dominicus Soto*, qui per annos 1547—1550 in Germania munere confessarii caesarei fungebatur, haec habet (in 4 dist. 18 q. 1 a. 1): „Id quod me teste Germani ipsi publice, dum inter eos agebam, confitebantur. Qua de re ex inclita *Norimberga* civitate missa est ad Caesarem legatio, per quam cives illi petebant, ut Caesar imperatorio iure confessionem auricularem indiceret. Aiebant enim se usu et more intellexisse rempublicam suam, postquam confessio cessaverat, vitiis contra iustitiam et alias virtutes scaturire, quae illis ante fuerant incognita. Risum tamen eadem legatio movit. Nam cum fateri omnino renuerent, per absolutionem sacerdotis culpas remitti et divino iussu teneri homines vera fateri, quomodo plebs convinci posset caesarea lege occulta sua scelera secreto confiteri?" — Cf. ‚Katholik' 1899 I, 282 sq., ubi suadetur, non fuisse utique confessionem sacramentalem, quam Norimbergenses postulaverunt.

ad medicos curandi venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quod aegri libenter salutem quaererent et se curandos offerrent, si medicos invenirent. Propterea solos medicos admonuit; infirmum enim ipse morbus suus sufficienter admonet, neque opus praecepto habet, si dolet.“ [1])

2. Patres, inter quos praesertim Chrysostomus, soli Deo confitendum esse docent.

Resp. Ut excludant necessitatem confessionis publicae C, ut excludant ministerium sacerdotis Sbd. ut improbantes poenitentium erubescentiam ostendant sacerdotem non esse hic considerandum ut hominem C, ut excludant sacerdotem etiam ut Dei vicarium N.

3. Testibus Socrate et Sozomeno a Nectario Patriarcha Cstp. confessio abrogata est. Ergo ea non censebatur esse iuris divini.

Resp. a. Si a Nectario abrogata est confessio, ea saltem in usu fuisse dicenda erit.

b. Abrogatus est a Nectario occasione scandali alicuius presbyter poenitentiarius post exortum schisma Novatianum ab Ecclesia institutus, qui, ut ait Socrates, „poenitentiae praeerat“, ut sc. poenitentes ad publicam admitteret poenitentiam C; abrogata est confessio sacramentalis N. [2])

4. Concilio Cabilonensi II (a. 813) teste „quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam . . . . confessio, quae Deo fit, purgat peccata, ea vero quae fit sacerdoti, docet qualiter ipsa purgentur peccata.“ Ergo saeculo 9 confessio auricularis non habebatur necessaria.

Resp. Extollitur, postquam canone praecedente confessionis sacerdotibus faciendae inculcata fuit integritas, utilitas confessionis Deo faciendae, quin tamen necessitas confessionis sacerdotibus faciendae negetur; imo ita illa extollitur, ut significetur clare utramque esse coniungendam, sc. „ut et Deo confiteamur peccata et secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum“; dicitur vero confessio, quae fit sacerdoti, docere qualiter peccata purgentur, quatenus nimirum hunc etiam habet fructum eumque sibi proprium.

---

[1]) Hugo Vict. De sacram. 2 p. 14 c. 1.

[2]) Non omnia in hac *Nectarii* historia liquida sunt. Quidquid est, immerito Canus, Estius et nuper Rauschen (Iahrbücher der christl. Kirche) censent, Nectarium confessionem sacramentalem sustulisse. Non enim abrogavit nisi quod causa erat scandali; at confessio secreta causa scandali nullatenus erat. Quodsi Socrates narrat, Nectarium permisisse deinceps unumquemque „pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem accedere“, hoc sibi vult, non iam statutum esse publicum iudicem reos ad poenitentiam adigentem. — De historia Nectarii et difficultatibus ex Chrysostomo desumptis cf. Palmieri, De poenit. th. 34.

5. Potest aliquando absolvi peccator, quin peccata singula confiteatur. Ergo necessitas confessionis integrae nequit saltem ex institutione divina colligi.

Resp. Potest a. hypothetice, b. addito voto integre confitendi saltem implicito.

6. Notitia sufficiens, ut prudenter absolvatur, est notitia dispositionum poenitentis. Ergo non requiritur confessio distincta peccatorum.

Resp. Nego; nam a. sententia retentionis, ut sit prudens, determinari potest etiam ex qualitate peccati; b. determinatae poenae determinatam praerequirunt peccatorum notitiam.

SCHOLION **1.** Necessaria itaque est peccatorum confessio. Iam vero incolumis manet confessionis essentia, sive ea sit *secreta*, quae sc. sacerdoti ita fit secreto, ut secreta maneat, sive sit *publica*. Utravis ergo sufficere poterit. Utraque etiam in Ecclesiae usu fuit. Nihilominus si traditio catholica consulatur, facile patebit: 1. nunquam ab Ecclesia universa iniunctam fuisse *publicam confessionem* peccatorum internorum vel etiam occultorum; imo a S. Leone declaratur esse „contra apostolicam regulam" quod „de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta"; 2. neque ad *poenitentiam publicam* peccatores occultos unquam ab Ecclesia universa constrictos fuisse, licet ea posset ipsis sponte volentibus imponi[1]); 3. obligationem igitur *sigilli* semper in Ecclesia et sancte custoditam et creditam esse de *iure divino.*[2])

2. Quamvis potestas remittendi ac retinendi spectet primario nonnisi peccata ea, quibus coelum nobis claudatur, remittendi tamen potestas cum sit maxime universalis, ad *venialia* quoque peccata extenditur. Merito igitur a Concilio Tridentino definitum est (Sess. 14 c. 7): „Si quis dixerit, non licere confiteri peccata venialia: a. s."; et prop. 39 *Pistoriensium* de peccatorum venialium confessione, „quam synodus optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur huiusmodi confessiones", proscripta est ut „temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatae contraria".

---

[1]) Controversia est inter eruditos, utrum pro tribus delictis canonicis, sc. idololatria, adulterio, homicidio, quae antiquitus propria erant materia poenitentiae publicae, si secreto commissa erant, publica poenitentia aliquando imposita fuerit. Cf. Palmieri, De poenit. th. 35; Blötzer in ‚Zeitschrift für kath. Theologie' 1887, 483 sq., 593 sq.

[2]) De *sigillo* sacramentali haec habet Concilium Lateranense IV (a. 1215): „Caveat (sacerdos) omnino, ne verbo, signo aut alio quovis modo prodat peccatorem . . . Qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum." Quod quidem sigillum teste Concilio Senonensi (a. 1524) oritur „ex triplici iure, sc. naturali, divino et humano".

3. Quod *praeceptum Ecclesiae* spectat confessionis sacramentalis peragendae, Concilium Lateranense (a. 1215) praecipit, ut „omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti". Synodus Treverensis (a. 1227 vel 1277) edicit (cap. 3): „Sacramentum Eucharistiae ad minus semel in anno suscipiant laici prius contriti et pure confessi suo proprio sacerdoti vel viris litteratis habentibus auctoritatem delegatam." In ‚Confessione Orthodoxa' (a. 1643) Graecorum praecipitur, „ut quater quotannis delicta nostra sacerdoti recte atque orthodoxe creato confiteamur."

Thesis 19.

Peccatorum poena 1. non semper tota cum culpa remittitur; 2. possunt ac debent pro luenda poena tum generatim tum speciatim in sacramento poenitentiae iniungi satisfactiones.

„Satisfactio, ita S. Bonaventura, dicitur dupliciter. Uno modo satisfactio dicitur reconciliatio: et sic, quia omnes partes poenitentiae sunt ad reconciliationem ordinatae, quaelibet potest dici satisfactio sive satisfactoria. Alio modo dicitur satisfactio persolutio poenae debitae: et sic competit proprie uni parti poenitentiae, quae est assumptio sive adimpletio poenae iniunctae; nihilominus tamen aliis partibus competit per accidens, utpote contritioni ratione doloris coniuncti, qui est in parte sensibili, similiter confessioni ratione erubescentiae." [1]) Antequam de tertia hac poenitentiae parte dicamus, pauca de satisfactione universe spectata praemittere iuvabit.

1. Satisfactio ex ipsa vi nominis adaequationem aliquam designat, — est ergo actus iustitiae —, atque proprio sensu adaequationem, quae non tam consistit in rebus, quae quidem redditio potius vel restitutio dicitur, sed in actionibus. Per offensam scilicet inaequalitas oritur, inaequalitas immediate quidem iustitiae, ex consequenti etiam amicitiae. Est igitur iustitiae et ex consequenti caritatis, auferre inaequalitatem huiusmodi; id quod praestatur tum quantum ad culpam ipsam praeteritam, quae recompensatione tollitur, tum quatenus intenditur, ut aequalitas in futurum custodiatur. Generatim ergo sumpta satisfactio est reparatio iniuriae alteri illatae; et prout vel culpam praeteritam respicit vel offensam in posterum praecavendam alio et alio modo definitur: „satisfactio, ita S. Anselmus priori sensu satisfactionem accipiens, est honorem debitum Deo impendere" [2]), debitum sc. ratione culpae admissae; „satisfactio, ita Augustinus altera significatione satisfactionis vocem intelligens, est

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 16 p. 1 dub. 2.

[2]) Anselm. Cur deus homo 2.

peccatorum causas excidere et eorum suggestionibus aditum non indulgere“ [1]).

Certum est, unum Deum-hominem et culpae et poenae universae potuisse exhibere atque exhibuisse condignam satisfactionem. Verum hominibus quoque, ut pro peccatis satisfaciant suis, praecipitur. Iam vero *homo* quomodo Deo poterit satisfacere? Certe „non potest homo Deo satisfacere, si ly ‚satis‘ aequalitatem quantitatis importet, potest autem, si importet aequalitatem proportionis“, simili sc. modo quo homo etiam debitum, quo ratione beneficii tenetur, Deo persolvit, quando „reddit quod potest, quia amicitia non exigit aequivalens, sed quod possibile est“ [2]). Possumus Deo satisfacere; „neque vero, sic Concilium Tridentinum (Sess. 14 cap. 8), ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri et per illum acceptantur a Patre.“

Satisfactio fit per opera *poenalia*. „Recompensatio enim offensae importat adaequationem, quam oportet esse eius qui offendit ad eum in quem offensa commissa est. Adaequatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habet iusto, et additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex parte eius, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est huiusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi poenale sit. Et ideo ad hoc, quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit, et poenale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur. Similiter etiam poena a culpa futura praeservat, quia non facile homo ad peccata redit, ex quo poenam expertus est. Unde secundum Philosophum poenae medicinae sunt.“ [3])

Cum satisfactio spectet poenae debitum luendum, satisfactionis fundamentum est ipsa operis, quod assumitur, *poenalitas;* quod tamen ita intelligendum est, ut quemadmodum „diminutio difficultatis, quae

---

[1]) Augustin. De eccles. dogm. 54.

[2]) S. Th. Suppl. q. 13 a. 1.

[3]) S. Th. Suppl. q. 15 a. 1.

est ex parte ipsius actus, diminuit ceteris paribus meritum, sed diminutio difficultatis, quae est ex promptitudine voluntatis, non diminuit meritum, sed auget: et similiter diminutio poenalitatis ex promptitudine voluntatis, quam facit caritas, non diminuat efficaciam satisfactionis, sed augeat“ [1]); nam „poena habet vim maxime satisfaciendi ratione caritatis, qua homo ipsam sustinet“ [2]).

In operibus his poenalibus sunt „*flagella praesentis vitae*, quatenus fiunt aliquomodo ipsius patientis; fiunt autem ipsius, inquantum ea acceptat ad purgationem peccatorum eis utens patienter.“ [3]) Praecipua vero opera satisfactoria numerantur haec tria: *eleemosyna, ieiunium, oratio.* De quibus ita disserit S. Thomas: „Satisfactio debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animae et bona corporis et bona fortunae, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunae subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam; sed ex bonis corporis per ieiunium; ex bonis autem animae non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter; et hoc fit per orationem. [4]) Competit etiam iste numerus ex parte illa, qua satisfactio peccatorum causas excidit, quia radices peccatorum tres ponuntur 1 Ioan. 2, 16, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae. Contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitae ordinatur oratio, ut Augustinus dicit super Matthaeum. Competit etiam quantum ad hoc, quod satisfactio est peccatorum suggestionibus aditum non indulgere, quia omne peccatum vel in Deum committimus, et contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, et contra hoc ordinatur eleemosyna; vel in nos ipsos, et contra hoc ordinatur ieiunium.“ [5])

2. Duplex circa satisfactionem notandus est error: alter Protestantium, alter Iansenistarum. *Protestantes,* cum semper a Deo totam poenam cum culpa remitti putent, omnem respuunt satisfactionem utpote Deo iniuriosam, poenitentias vero Ecclesiae primitivae ad externam tantum disciplinam et politiam spectasse dicunt

---

[1]) S. Th. Suppl. l. c. ad 2.

[2]) S. Th. Suppl. q. 13 a. 2.

[3]) S. Th. Suppl. q. 15 a. 2. — „Si *omnino,* ita idem Angelicus l. c., eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius, et ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum.“

[4]) „Quaelibet oratio habet rationem satisfactionis quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis“ (S. Th. l. c. ad 1).

[5]) S. Th. Suppl. q. 15 a. 3.

nec ullam apud Deum pro peccatis satisfaciendi vim habuisse. *Iansenistae* contra adeo necessariam arbitrati sunt satisfactionem, ut neminem ante plenam eius solutionem absolvendum esse statuerent.

Protestantium errorem damnavit Concilium Tridentinum (Sess. 14):

Can. 12. „Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: a. s.“

Can. 13. „Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus; atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam: a. s.“

Can. 14. „Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: a. s.“

Can. 15. „Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea sacerdotes, dum imponant poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat: a. s.“

Iansenistarum doctrina damnata iam est censura propositionis cuiusdam Petri de Osma: „non peracta poenitentia confitentes absolvi non debere“; quam quidem a. 1479 ut haereticam damnavit Sixtus IV. Iterum reprobata est ab Alexandro VIII prop. 16: „Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante“; et 17: „Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus“; a Clemente XI similis prop. 87 Quesnelli; a Pio VI prop. 34, 35, 38 Pistoriensium.

Duo igitur hic quaeruntur: alterum, quod praesentis quaestionis fundamentum est, sc. an culpa et poena aeterna remissa *manere* possit *poenae temporalis* alicuius debitum sive in hac vita sive in altera solvendum; alterum, qua ratione homo poenitens pro hac poena *satisfaciat* actibus suis tum *generatim* tum in ipso *sacramento* poenitentiae.

DEMONSTRATUR: **1.** Remissa culpa *non semper tota remittitur poena.*

1. *Potest* manere poena temporalis deleto peccato.

Poena enim temporalis peccatis debetur ex inordinata animi conversione ad temporalia bona. Per gratiam vero, quando remittitur culpa, per se non tollitur nisi aversio a Deo atque adeo etiam poena aeterna ei debita. Ergo poena temporalis remanere poterit.[1] — „Potest esse conversio mentis in Deum et in detestationem peccati tam vehemens, quod perfecte remissionem peccati homo consequitur non solum quantum ad purgationem culpae, sed etiam quantum ad remissionem totius poenae. Hoc autem non semper contingit. Unde quandoque, per contritionem amota culpa et reatu poenae aeternae soluto, remanet obligatio ad aliquam poenam temporalem, ut iustitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per poenam.“[2]

2. *Conveniens* est manere poenam temporalem deleto peccato.

Est enim quam maxime consentaneum et *divinae iustitiae* et *nostrae utilitati*. „Divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam (i. e. fide nondum illuminati) deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati et accepto Spiritus Sancti dono scienter templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes velut iniurii et contumeliosi Spiritui Sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant et quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.“ (Conc. Trid. Sess. 14 cap. 8).

3. *Manet* aliquando poena temporalis deleto peccato.

„Perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, praeter divinam Traditionem, error (culpam nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur) quam manifestissime revincitur.“ (Conc. Trid. ibid.)

a. Probatur ex *Scriptura*.

„Gen. 3 ipsi Adamo, de quo dubium non est, quin aliquando tandem reconciliatus fuerit per gratiam cum Deo, ut patet Sap. 10, 2 propter illius tamen peccatum superbiae et inobedientiae comminatus est ita Deus: quia audisti vocem uxoris tuae, maledicta terra in opere tuo etc.; quam poenam maledictionis postea etiam quam obtinuit culpae remissionem pertulit . . . Item Exod. 32 posteaquam

---

[1]) S. Th. 3 q. 86 a. 4 (citat. supra p. 29).

[2]) S. Th. C. gent. 4, 72.

Deus populo Israelitico tum propter eius poenitentiam tum propter Moysis intercessionem remisit peccatum idololatriae, nihilominus inquit: ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. Et Num. 12 remissa iam culpa murmurationis sorori Moysis, nihilominus tamen punitur lepra septem dierum. Item 2 Reg. 12 Davidi iam poenitenti nomine Dei dicit Nathan propheta: transtulit quoque Dominus peccatum tuum; verumtamen filius, qui natus est tibi, morietur; in quandam nimirum commissi antea sceleris vindictam condonata licet poena aeterna. Gad item propheta 2 Reg. 24 eidem Davidi, postquam eum poenituit peccati admissi in ambitione circa numerationem populi, nihilominus facit Dei nomine optionem, ut e tribus unum eligat ad illius peccati vindictam.“ [1])

b. Probatur ex *Traditione.*

„Aliquando Deus cui ignoscit in futuro saeculo, corripit eum de peccato in isto saeculo; nam et ipsi David, cui dictum fuerat per prophetam: «Dimissum est peccatum tuum», evenerunt quaedam quae minatus erat Deus propter ipsum peccatum.“ [2]) „Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit; aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit . . . Sic David post confessionem audire meruit: «Dominus transtulit peccatum tuum»; et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpae, quam perpetraverat, absolvit.“ [3]) — Quid plura? Calvinus ipse fatetur: „Parum me movent quae in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes fere, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse aut nimis aspere et dure locutos.“ [4])

2. Poena temporalis, quae peccato deleto manet, lui potest:

1. *Generatim* operibus poenalibus in hac vita factis. [5])

---

[1]) Gregor. de Valentia 2 disp. 6 qu. 17 punct. 5.

[2]) Augustin. In Ps. 50, 15; cf. eiusdem Augustini verba citata p. 6 et 7.

[3]) Gregor. M. Moral. 9, 34.

[4]) Controversia est aliqua inter doctores catholicos de poena temporali, quae culpa remissa manet luenda, utrum sc. sit illa eadem quoad genus et speciem, quae erat luenda in inferno poena sensus, ita ut secundum providentiae divinae legem primario et per se solvi debeat post hanc vitam, in purgatorio scilicet, an vero sit poena alterius speciei luenda vel in hac vita vel in futura, ita ut velit quidem Deus eam lui in vita praesenti satisfaciendo, statuens in altera vita ab iis, qui non satisfecerint, luendam satispatiendo: quae quidem quaestio non videtur esse magni momenti.

[5]) Contra Suarezium colligit Lugo (Disp. 24 sect. 1) ex sensu et praxi Ecclesiae posse obtineri poenae temporalis remissionem non solum per satisfactionem, sed etiam per *impetrationem;* quia, inquit, „si probabile et pium

a. Rem ita *esse* colligitur tum ex Scriptura tum ex Ecclesiae Traditione.

Scriptura saepe docet, operibus misericordiae ac maxime eleemosynis peccata purgari et redimi. „Misericordia et veritate redimitur iniquitas“ (Prov. 16, 6). „Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat“ (Tob. 4, 11). „Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum“ (Dan. 4, 24).

Ecclesiae sensus ex consuetudine apparet, qua inde ab initio peccatoribus opera poenitentiae indixit, quibus iustitiae divinae satisfieret. Patrum doctrinam ipse Chemnitius testatur dicens: „Nec vero nescius sum, veteres aliquando nimis largiter et verbis nimis magnificis disciplinam canonicam commendare: ut quod Tertullianus dicit, satisfactionibus illis peccata expiari; Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, sanari et iudicem placari; Ambrosius poenas gehennae illis compensari; Augustinus Deum illis de peccatis praeteritis propitiari.“ [1])

b. Res *quomodo* sit, ut pateat haec tenenda sunt:

α. Illa opera *aliquando* quidem Deus ad satisfactionem *non accipit:* Deuteron. 32, 49; 2 Reg. 12, 14; *aliquando* vero *accipit:* 2 Paralip. 7, 14; Ier. 18, 8; Ez. 18, 21; Ioel 2, 12; Ionas 3, 10; praesertim Dan. 4, 24: „Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.“

β. Homo iustus *condigne* potest satisfacere: „Satisfactio enim accipit quandam infinitatem ex infinitate divinae misericordiae, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest.“ [2]) Sequitur idem ex damnatione harum propositionum Baii: „Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium pro peccatis nostris offerimus“ (59); „satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam“ (77).

γ. Homo iustus etiam pro *alieno* debito poenae temporalis post culpam deletam manentis satisfacere potest; quamvis Deus huiusmodi alterius pro altero satisfactiones seu suffragia nec acceptare teneatur nec fortasse semper acceptet. „In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda

---

est, quod possimus absque satisfactione impetrare aliquando expiationem reatus poenae animabus purgatorii, probabilius erit vel aeque probabile, quod id possimus aliquando nobis obtinere.“

[1]) Chemnit. Exam. Conc. Trid. 4.

[2]) S. Th. Suppl. q. 13 a. 1 ad 1.

est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere“ (Catech. Rom. De poenit.). Et sane:

Nihil repugnat, quominus iustus pro alio satisfacere possit. „Quantum est ad medicinam sequentis peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri, quia ex ieiunio unius caro alterius non domatur; nec ex actibus unius alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, inquantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiae, quae efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum; sed hoc est per modum meriti magis quam per modum satisfactionis. Sed quantum ad solutionem debiti unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in caritate, ut opera eius satisfactoria esse possint. Nec oportet quod maior poena imponatur ei qui pro altero satisfacit, quam principali imponeretur, ut quidam dicunt hac ratione moti, quod poena propria magis satisfaciat quam aliena; quia poena habet vim maxime satisfaciendi ratione caritatis, qua homo ipsam sustinet: et quia maior caritas apparet in hoc quod aliquis pro altero satisfacit, quam si ipse satisfaceret, ideo minor poena requiritur in eo qui pro alio satisfacit, quam in principali requireretur; unde dicitur in Vitis Patrum, quod propter caritatem unius, qui alterius fratris sui caritate ductus poenitentiam fecit pro peccato, quod non commiserat, alteri peccatum, quod commiserat, dimissum est. Nec etiam exigitur quantum ad solutionem debiti, quod ille, pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum, quia etiamsi esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset. Sed hoc requiritur, inquantum poena satisfactoria est in remedium. Unde non est permittendum, quod aliquis pro alio poenitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in poenitente vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam poenam.“ [1])

Rem ita *reapse esse* perspicue ostendit et sensus Ecclesiae et doctrina Patrum in iis praesertim, quae de Ecclesiae unitate et communione sanctorum praedicant. Audiantur aliqui. „Inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus de communi domino et patre: quid tu hos aliud quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere, condoleat universum et ad remedium conlaboret necesse est.

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 13 a. 2. — Qui pro alio satisfactionem offert, nequit eodem opere pro se ipso satisfacere: „quia illa quantitas poenae non sufficit ad utrumque peccatum; tamen satisfaciendo pro alio sibi meretur aliquid maius quam sit dimissio poenae, sc. vitam aeternam“ (propter maiorem nimirum caritatem). S. Th. l. c. ad 3.

In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Aeque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper quod Filius postulat.“ [1]) „Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et pro possessione virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus.“ [2]) „Ne nos pigeat opem ferre iis, qui excesserunt, et pro eis offerre preces: est enim (altaris sacrificium) propositum orbis terrae commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe terrae nunc rogamus et cum martyribus eos vocamus, cum confessoribus, cum sacerdotibus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora. Et fieri potest, ut veniam eis omni ex parte conciliemus a precibus, a donis, quae pro eis offeruntur, ab iis qui cum ipsis vocantur. Cum ergo doles, cur luges et lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia?“ [3])

2. Speciatim in poenitentiae *sacramento* satisfactiones possunt ac per se debent imponi.

a. Rem ita *esse* ostenditur.

Concilium Tridentinum (Sess. 14 c. 8) „declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam poena condonetur. Debent ergo sacerdotes Domini quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere.“

α. Consequitur id *ex doctrina et praxi Ecclesiae.*

„Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tamquam bonus iam incipiens filius . . . a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum.“ [4])

β. Consentaneum id est *potestati* a Christo institutae; et quidem tum *naturae* huius potestatis: est enim potestas non solum solvendi, sed etiam ligandi (cf. Conc. Trid. can. 15); tum *fini* eiusdem, qui est destructio peccati: ad peccatum autem spectat etiam reatus poenae, et ad peccatum in futurum praecavendum magnopere conferunt satisfactiones, ut supra a S. Thoma didicimus.

b. *Quomodo* poenitentia imposita sacramentum ingrediatur, ex his intelligetur:

Quorsum imprimis satisfactio spectabit? Et nominatim, quoniam non de satisfactione qualicunque hic est agendum, sed de satis-

---

[1]) Tertull. De poenit. 10.
[2]) Augustin. In Ps. 61.
[3]) Chrysost. Hom. 41, 5 in 1 Cor.
[4]) Augustin. Sermo 351.

factione peccatoris poenitentis, haec quaenam erit et quid efficiet? Gratis profecto remittitur culpa, gratis restituitur divina amicitia, gratis una cum culpa debitum deletur poenae aeternae: haec omnia gratis fiunt, propter merita sc. Christi sacramento inclusa; neque enim homo est sacramentum suscipiens qui actibus suis illa mereatur. Attamen potest peccator per ipsa haec merita Christi et divina adiutus gratia aliquam exhibere compensationem imperfectam, disponens se, quantum oportet, et de congruo suam merens reconciliationem; poterit, id quod in hac re praecipuum est, poenae, si qua, dimissa culpa, relinquitur, actibus suis debitum luere. Atque haec proprie est satisfactio, de qua nunc agitur, scilicet: compensatio poenae temporalis debitae ob iniuriam Deo per peccatum illatam.

Est vero satisfactio sacramenti poenitentiae pars (Conc. Trid. can. 4) et ad totum ritum sacramentalem pertinet. Operatur igitur, si in sacramento a ministro imponitur, vi ipsius institutionis divinae, ideoque non solum ex opere operantis, verum etiam ex opere operato.

Proprius satisfactionis sacramentalis effectus est remissio poenae temporalis eaque in tali mensura, quam Deus novit satisfactioni respondere. Prout porro una cum reliquis ad sacramentum concurrit, gratiam etiam sanctificantem conferre dicenda videtur.

Pars sacramenti est satisfactio actu praestita integralis tantum. „Satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, et auget eam prout est in executione.“ [1]) Potest enim sacramenti essentia constare, antequam satisfactio fiat; et absolutio efficax creditur priusquam accedat satisfactio. Falsissimum itaque est et Ecclesiae consuetudini ac sensui quam maxime repugnans, quod volunt Iansenistae, opus nimirum esse, ut satisfactio opere praestita absolutionem antecedat.

Potest tamen ante absolutionem impertiendam satisfactio et inponi et impleri. Quamvis enim in casu, quod peccator in statu peccati mortalis versatur, opus ab eo factum nihil valeat ad satisfaciendum ex opere operantis, sed solum ut ipse melius disponatur: satisfactio tamen utpote quae sit, quamvis absolutioni praemittatur, pars sacramenti, valorem suum praecipuum habet ex opere operato. [2])

OBIICITUR. 1. Sublata causa tollitur effectus; atqui poenae causa est peccatum, quod supponitur sublatum.

Resp. Dist. Si nulla adest causa C, cessante causa Sbd. si effectus conservatio pendeat a causa C, si ab arbitrio alieno N.

---

[1]) S. Th. 3 q. 90 a. 2 ad 2.

[2]) Cf. Suarez, Disp. 38 sect. 2, 5; sect. 8, 5. — In praxi sententia haec, quod satisfactionem ante absolutionem impleri licet, usui esse poterit maxime quando poenitens in gravi mortis periculo versari existimatur.

2. In Scripturis promittit Deus, se peccatorum, quorum acta fuerit poenitentia, non amplius recordari.

Resp. Dist. . . . se non amplius recordari i. e. ita remittere, ut non sit iam inimicus ei, qui peccaverat, utque peccatum remissum nunquam redeat C, ita remittere, ut ad instar amici et patris non exigat hominis ad se revertentis ullam satisfactionem N.

3. Peccata gratis remittuntur: ergo satisfactioni nullus locus.

Resp. Dist. Peccata remittuntur gratis quoad culpam et poenam aeternam Tr, quoad poenam temporalem Sbd. ita ut neque haec solis operibus naturalibus deleatur C, ita ut neque operibus in gratia et cum gratia factis condonetur N.

SCHOLION. Poenitentia *quae* et *qualis* in sacramento poenitentiae peccatoribus sit imponenda, Concilium Tridentinum hisce declarat (Sess. 14 c. 8; 24 c. 8): „Debent sacerdotes Domini, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere; ne si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent.“ — „Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis iudicaverit expedire.“ [1])

COROLLARIUM. Duo in universa quam hic agimus quaestione *fugienda* sunt extrema. Alterum eorum est, qui quibuslibet poenitentibus *facilitate* nimia veniam ac securitatem pollicentur, quibus S. Isidorus bene illud Ieremiae applicat: „Curabant contritionem filiae populi mei cum ignominia dicentes: pax, pax; et non erat pax.“ Alterum, extremo priore, si fieri potest, peius, eorum est, qui nimia *severitate* poenitendi viam peccatoribus aequo difficiliorem reddunt atque adeo, ut ait S. Antoninus, „aedificant ad gehennam“; contra quos satis nunquam repeti poterunt quae habet S. Ioannes Chrysostomus suavissima in libro de reparatione lapsi: „Mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur; etiamsi non potuerit quis explere in praesenti satis-

---

[1]) „Videtur satis conveniens, quod sacerdos non oneret poenitentem gravi pondere satisfactionis; quia sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili extinguitur: ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus propter grave onus satisfactionis extingueretur.“ S. Th. Quodlib. 3 q. 13.

faciendi ordinem, quantulamcunque tamen et quamlibet brevi tempore gestam poenitentiam suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguae conversionis perire mercedem.“ Quaecunque hac tractatione audivimus, cuncta et iustitiam et misericordiam praedicant divinam, magis tamen *misericordiam* quam iustitiam. „Misericordia et veritas obviaverunt sibi; iustitia et pax osculatae sunt“ (Ps. 84, 11). Deum erga peccatores poenitentes misericordem misericors secuta atque imitata est Ecclesia, ipsa quoque „nolens mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat“ (Ezech. 33, 11). Relinquitur, ut et nos sequamur atque imitemur Patrem et Matrem, nos filii, nos praesertim sacerdotes, quibus misericordiae suae infinitae Deus concredidit thesauros. Nostra itaque faciamus haec a S. Cypriano egregie dicta: „Nec Ecclesia cuiquam clauditur, nec episcopus alicui denegatur; patientia, facilitas et humanitas nostra venientibus praesto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi, opto universos commilitones nostros intra Christi castra concludi. Remitto omnia, multa dissimulo studio et voto colligendae fraternitatis, etiam quae in Deum commissa sunt, non pleno iudicio religionis examino, delictis plus quam oportet remittendis pene ipse delinquo; amplector prompta et plena dilectione cum poenitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes.“ [1])

---

[1]) Cyprian. Ep. 55 ad Cornelium.

Appendix.

De Indulgentiis.

Culpa et poena aeterna per poenitentiam remissa, potest manere ac quandoque manet obligatio ad aliquam poenam temporalem. Poena autem haec temporalis operibus poenalibus lui potest, quae vel sponte suscipiuntur vel poenitentiae sacramentum suscipientibus iniunguntur. De his hactenus. Relinquitur alius poenae temporalis luendae modus, qui in eo consistit, ut non quidem ex propriis, sed ex eo, qui Ecclesiae concreditus est, thesauro quod debetur solvatur atque homo poenae reus absolvatur. Est vero poenae huiusmodi remissio quae nomine venit indulgentiarum.

Indulgentiarum adversarius acerrimus fuit *Lutherus*, qui ab abusibus, quos in indulgentiarum praedicatione deprehendere sibi videbatur, quosque apostasiae suae causam aliquando praetexebat, exorsus reprehendendis[1]), eo tandem devenit, ut et indulgentias ipsas assereret inutiles et eas concedendi Ecclesiae negaret potestatem. Lutherum secuti sunt Protestantes omnes et aliquatenus etiam Pistorienses in prop. 40—43 a Pio VI damnatis.

Doctrina de indulgentiis catholica consignata est praeprimis in Decretali extravagante ‚Unigenitus' Clementis VI, in Constitutione ‚Cum postquam' Leonis X in causa Lutheri data, in decreto denique ‚de indulgentiis' Concilii Tridentini (Sess. 25), ubi haec leguntur: „Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum

---

[1]) Lutherus ipse postmodum sincere confessus est, apostasiae suae aliam prorsus esse originem, scribens ad Tetzelium: „Er solle sich unbekümmert lassen, denn die Sache sei von seinetwegen nicht angefangen, sondern hab das Kind viel einen andern Vater."

auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant."

Duo itaque circa indulgentias tenenda sunt de *fide*, scilicet Ecclesiam pollere potestate concedendi indulgentias, indulgentiarumque usum populo christiano esse salutarem. Reliqua quae de indulgentiis erunt statuenda, quamvis ex certis revelatae doctrinae fontibus eruantur et plus minusve ipsa sint certa, non tamen de fide definita censeri possunt. Quae priusquam demonstrentur, ex authenticis Ecclesiae monumentis et communi scholarum doctrina genuinam, id quod magni interest, indulgentiarum *notionem* informabimus, paucis de earundem *divisione* adiectis.

Notio indulgentiae.

„Indulgentia, ita Bellarminus, remissionem et facilitatem, sive, ut sic loquamur, condescensionem in Scripturis sanctis aliisque auctoribus praesertim ecclesiasticis significare solet." [1]) Qui indulgentiae conceptus genericus est pluraque complectitur quae, ut notio indulgentiae maxime propria habeatur, accuratius determinare oportet.

Est itaque indulgentia remissio quaedam sive relaxatio debiti. Iam vero inquirendum hic erit tum in remissionis huius *obiectum* tum in *modum* tum in *causam*.

1. De *obiecto* quaeritur. Quamvis indulgentiae nonnunquam legantur concessae in remissionem „peccatorum", indulgentia tamen non est remissio culpae, neque, ut veteres nonnulli opinati esse videntur, venialis; culpa enim, prout audivimus, remittitur motu gratiae una cum actu poenitentis qui culpam aliquo modo detestatur, non vero condonatione facta ab Ecclesia. Neque est indulgentia remissio poenae aeternae, quippe quae necessario remittatur una cum culpa. Est igitur indulgentia remissio *poenae temporalis*. Quae quidem remissio, „cum nullus liberetur a poena, nisi sit absolutus a culpa, quia effectus non diminuuntur neque tolluntur, nisi diminuta vel sublata causa" [2]), ut locum habere possit, oportet prius culpam poenitentia esse deletam. Quamobrem indulgentia aliqua concedi „dicitur omnibus vere poenitentibus et confessis, non dicitur: et satisfacientibus; quia indulgentia non excusat a contritione et confessione, sed cedit in locum satisfactionis" [3]).

---

[1]) Bellarm. De indulg. 1, 1.

[2]) S. Th. Suppl. q. 14 a. 5.

[3]) S. Th. Quodl. 2 q. 8 a. 16. — Absurdissimum plane est, quod ex litteris indulgentialibus seu confessionalibus, quae concedebantur ad tempus

Si vero, ubi de indulgentiis sermo est, hae dicuntur «indulgentiae *peccatorum*», vox peccati ex usu loquendi Scripturae (2 Mach. 12, 46; 2 Cor. 5, 21) accipitur pro poena peccati; quemadmodum in Glossa Bullae Bonifatii VIII ‚Antiquorum' (a. 1300) legitur: „peccatorum, i. e. poenarum pro peccatis debitarum". Quodsi porro indulgentiae feruntur concessae sub verbis «*a poena et culpa*», teste Cusano in Synodo Magdeburgensi „Sedes Apostolica sub his verbis «a poena et a culpa» indulgentias nunquam dare consuevit" [1]); et Benedictus XIV hunc modum dicendi quorundam veterum quaestorum inscitiae deberi declaravit. [2]) Nihilominus cum concedi debeat, etiam in actis authenticis Pontificum reperiri formam istam «a poena et a culpa» [3]), responsum illud non sufficit. Itaque interprete Eckio in disputatione Lipsiensi, „si indulgentiae dicantur dari, ut absolvantur a poena et culpa eas consequentes, nullus existimare debet, indulgentias remittere culpam, sed quia Papa concedit, ut a culpa mediante sacramento poenitentiae a deputatis commissariis absolvantur et deinde indulgentias i. e. poenarum remissiones consequantur" [4]). Quod idem etiam clarius testatur Ioannes de Paltz (a. 1500): „Indulgentia dupliciter accipitur: Uno modo stricte et proprie, et sic solum extendit se ad poenae remissionem. Alio modo accipitur large pro iubilaeo sive littera indulgentiali, et tunc non solum extendit se ad poenae remissionem, sed etiam ad culpae remissionem, quia in iubilaeo vel confessionali certis temporibus remittitur tam culpa quam poena: culpa virtute sacramenti poenitentiae, quod Papa largissime administrat; poena virtute indulgentiae, quam Papa plenissime concedit." Indulgentiam illam large sumptam idem hic auctor in oppositione ad indulgentiam «nudam» vocat alibi «plenissimam», quando sc. „Papa ultra remissionem poenarum dat etiam poenitentibus potestatem eligendi confessorem in quibuscunque casibus etiam Sedi Apostolicae reservatis et quando dat potestatem absolvendi a censuris." [5])

---

futurum, Protestantes aliqui concludunt iis peccata remissa fuisse, quae quis proposuit in futurum committere. Imo vero nec valebant illae litterae ullo modo ad remissionem obtinendam eorum, quae quis fortasse sub spe et praetextu illius concessionis commiserat; quemadmodum disertis verbis in plurimis confessionalibus edicitur. Cf. ‚Katholik' 1899 II, 457.

[1]) Pistorius, Rerum german. scriptores 3, 414.

[2]) Bened. XIV, De synodo dioec. 13, 18.

[3]) Cf. ‚Katholik' 1898 II, 79 et 1899 I, 122.

[4]) Cf. Lutheri Opera, Weimar. 1884, II p. 356.

[5]) Ioan. de Paltz, Coelifod. cit. in ‚Zeitschrift für kath. Theologie' 1899, 49 sq. et 1900, 390 sq., ubi cl. *Nic. Paulus* et theologum illum et doctrinam catholicam vindicat ab iniusta accusatione Briegerii Lipsiensis, saec. 14 et 15 indulgentias mutatas fuisse in culpae remissionem. Cf. praeterea l. c. 644 sq.

Poena porro, quae indulgentia remittitur, non est *tantum* poena, quam fortasse *Ecclesia* pro peccatis statuerit subeundam, seu, ut vocant, poenitentia canonica [1]), sed est poena ex peccato ipsi *Deo* debita. Damnata enim est prop. 19 Lutheri: „Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam." Cf. eiusdem prop. 21 et 22 in quibus indulgentiae solum illis admittuntur utiles esse, qui publica crimina patraverunt. Damnata est quoque prop. 40 Pistoriensium: „Propositio asserens, indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat, quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam, falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in articulo 19 Lutheri damnata." Et sane: „Haec opinio est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est, ut quod in terra remitteret, in coelo remitteretur; unde remissio, quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei; et praeterea Ecclesia eiusmodi indulgentias faciens magis damnificaret, quam adiuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, sc. purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis". [2]) „Ista opinio etsi relaxationes videatur ponere, verius tamen interimit: quia si relaxat ita, quod Deus non relaxet, potius deceptio quam relaxatio vera iudicanda est, et potius crudelitas quam pietas dici potest, dum minuendo hic poenitentiam in futuro ad graviora trahit supplicia." [3])

Poenae porro temporales, quae etiam remissa culpa luendae supersunt, cum et sint vindicativae et medicinales, Ecclesiae indulgentias concedentis mens non est ut fiat remissio poenarum inquantum *medicinales* sunt, sed solum inquantum sunt *vindicativae.* „Satisfactio et est punitiva, inquantum est actus vindicativae iustitiae, et est etiam medicativa, inquantum est quoddam sacramentale. Indulgentia ergo supplet locum satisfactionis, inquantum est punitiva, quia sc. poena, quam alius sustinuit, imputatur isti ac si ipse sustinuisset; et ideo reatus poenae tollitur. Sed non succedit in locum satisfactionis, inquantum est medicativa, quia adhuc remanent pronitates ad peccandum derelictae ex priore peccato, ad quas sanandas necessarius est labor satisfactionis. Et ideo . . . consulendum est, ut non praetermittant satisfactionis opera, inquantum sunt praeservativa." [4])

---

[1]) Sic saec. 15 Ioan. de Wesel et Wesselius. Cf. ‚Zeitschr.' 1900, 651 sq.
[2]) S. Th. Suppl. q. 25 a. 1.
[3]) S. Bonav. 4 dist. 20 p. 2 a. 1 q. 2.
[4]) S. Th. Quodl. 2 q. 8 a. 16 ad 4.

2. Iam de *modo* quaeritur, quo ista poena temporalis per indulgentias remittatur. Novimus, poenam temporalem modo diverso posse tolli. Potest qui poenam debet, ipse actibus suis tum generatim tum praesertim sacramentum suscipiens poenitentiae aliquo modo etiam ex opere operato poenae remissionem a Deo obtinere. Potest praeterea alter alteri poenae veniam obtinere, quatenus nimirum iustus homo pro altero vel satisfacit vel offert preces. In omnibus his aliqua certe intercedit indulgentia ex parte Dei. At non in his sita est illa, de qua nunc loquimur, indulgentia. Non enim intelligitur haec remissio poenae temporalis, quam actibus nostris mereamur, nec remissio, quae in sacramento nobis contingat, nec denique remissio, quam alii nobis vel satisfaciendo vel impetrando obtineant: indulgentia, de qua hic nobis est sermo, est remissio quae ab *Ecclesia* nobis conceditur, ea sc. qua ipsa potestate sibi concredita a poenae reatu nos liberat. Quaeritur autem ulterius de *natura* actus, quo Ecclesia indulgentiam concedendo a poena liberet. Qua in re haec certa sunt:

a. Hic actus imprimis *absolutio* iudicialis est, quae quidem non ad modum particularis sententiae quemadmodum in sacramento poenitentiae fertur, sed per sententiam generalem in omnibus valentem, in quibus requisitae conditiones adimpleantur. Rem clare enuntiat Caput «Quod autem» dicens, „neminem posse concedere indulgentias nisi propriis subditis, quia non possit nisi proprius iudex absolvere vel ligare.“ Ratione vero theologica Bellarminus rem ita probat: „Cur pro defunctis non conceduntur indulgentiae nisi per modum suffragii? Certe nulla est ratio nisi quia defuncti non possunt proprie iudicialiter absolvi.“ [1])

b. Verum indulgentia non est mera absolutio, sed praeterea *solutionem* aliquam continet, qua iustitiae divinae aliquatenus satisfiat. „Ille, qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a poenae debito, sed datur ei unde debitum solvat.“ [2]) Rationem reddit Aegidius Carlerius, qui in Concilio Basileensi ita disseruit: „Indulgentia dicit relaxationem poenae debitae; sed quia oportet, ut salvetur divina iustitia, et qui peccavit, quia debitor est, solvat aut alius satisfaciat pro eo, per indulgentiam poena peccatorum relaxatur ex hoc, quod merita alterius isti applicentur.“ [3]) — Iam vero merita haec, quae indulgentiis applicantur, sunt merita Christi et sanctorum. „Indulgentiae et relaxationes, ita Alexander Halensis, fiunt de meritis supererogationis membrorum Christi et

---

[1]) Bellarm. De indulg. 1, 5.

[2]) S. Th. Suppl. q. 25 a. 1 ad 2.

[3]) Cf. Mansi, Act. Conc. Basil.

maxime de supererogationibus meritorum Christi, quae sunt thesaurus spiritualis Ecclesiae." [1]) De thesauro hoc postea plura dicentur.

„Relaxatio itaque sive indulgentiae collatio duo dicit, scilicet thesauri Ecclesiae communicationem et cum hoc quandam iudiciariam absolutionem." [2])

3. Quaeritur denique, quid *requiratur* ut talis poenarum remissio ab Ecclesia concedatur. Quae ex hucusque disputatis sponte consequuntur, S. Thomas imprimis sic breviter complectitur: „Causa remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa remissionis effectiva est vel devotio vel labor vel datum recipientis indulgentiam, aut causa, pro qua datur indulgentia: unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper abundant; et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur." Deinde Angelicus explicans, quid requiratur ut Ecclesia indulgentiam concedat sic pergit: „Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur *auctoritas* dispensandi huiusmodi thesaurum, et *unio eius cui* dispensatur ad eum qui merebatur, quod fit per caritatem, et *ratio* dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad *honorem Dei* et *utilitatem Ecclesiae* in generali, unde quaecunque causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi." [3])

Ad *auctoritatem* illam indulgentias concedendi quod spectat, plura infra dicentur.

Ad *unionem* quod attinet, qua, qui indulgentiam lucrari vult, debet esse iunctus cum Christo, dicit Angelicus eam constitui per caritatem. Atque hoc quidem verissime dicitur. Verum quaeri potest, utrum legis huius nulla sit exceptio.

Nonnullis theologis non videtur necessario requiri status gratiae, ut quis lucretur indulgentiam (partialem) poenae mortalibus iam *remissis* debitae, cum nullatenus videatur repugnare, quod Deus tribuat hoc beneficium iis quibus potiora, ut sunt gratiae actuales, non deneget. Verum nequeunt haec nobis probari. Nam „membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis; sed ille, qui est in peccato mortali, est quasi membrum mortuum: ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum." [4]) Quod idem confirmatur responso S. C. indulgentiis

---

[1]) Alex. Hal. p. 4 q. 23 a. 2.
[2]) S. Bonav. 4 dist. 20 p. 2 a. 1 q. 5.
[3]) S. Th. Suppl. q. 25 a. 2.
[4]) S. Th. Suppl. q. 27 a. 1.

sacrisque reliquiis praepositae dato 17 dec. 1870, ubi declaratur, clausulam «corde saltem contrito», quae occurrit in indultis, ubi non exigitur diserte confessio, eum habere sensum, ut contritio requiratur „quatenus aliquis in peccato mortali constitutus ac propterea incapax lucrandae cuiusvis indulgentiae per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur et capax fiat indulgentias assequendi“.

Theologi porro haud pauci censent, ad indulgentiam *pro defunctis* lucrandam probabiliter non exigi statum gratiae, nisi forte, ut plerumque, inter conditiones ponatur confessio vel contritio. Alii vero hoc non admittunt. Sed de controversia hac commodius infra dicetur.

De *ratione* denique dispensandi indulgentias, quam Angelicus dicit esse honorem Dei et utilitatem Ecclesiae, haec S. Bonaventura accuratius disserit: „Sicut videmus in politiis et communitatibus humanis, quod thesaurus reipublicae propter duo maxime consuevit proferri et communicari exterius: sic est in spiritualibus intelligendum. Profertur namque thesaurus extra ad dispergendum propter gloriam principis, sicut faciunt reges curiales, sicut fecit Assuerus (Esth. 1, 4). Alio modo propter utilitatem communitatis, sive necessitatem, ut quando laeditur communitas, proferuntur stipendia et donativa militibus, ut eant ad pugnam. Sic thesaurus Ecclesiae ab his, qui habent dispensare, duplici ex causa debet distribui. Una causa est propter gloriam principis et laudem: et laus et honor Dei est in sanctis suis, et sancti honorantur in constructione basilicarum, visitatione basilicarum, commemoratione virtutum suarum, et idem fit in praedicationibus et sermonibus: ideo pro his omnibus indulgentiae recte fiunt. Alia causa est communis utilitas, quae quidem utilitas est defensio Terrae Sanctae, defensio fidei, promotio studii, et consimilia: et ideo pro talibus debent fieri. Et quoniam haec consistunt in actibus exterioribus, ideo maxime pro actibus exterioribus debent fieri indulgentiae.“ [1])

Quomodo vero pro rebus, quae *temporales* sunt, indulgentiae possint concedi, ita explicat S. Thomas: „Pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia: sic est repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant, vel sicut constructio ecclesiarum et pontium et aliarum eleemosynarum largitio. Et per hoc patet, quod non sit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali.“ [2])

---

1) S. Bonav. 4 dist. 20 p. 2 a. 1 q. 4.

2) S. Th. Suppl. q. 25 a. 3.

Ad *valorem* autem indulgentiarum quod spectat, dicendum est, eum non ab his determinari conditionibus, sed a meritis Christi et sanctorum quae applicantur, atque adeo indulgentias ipsas tantum valere quantum praedicantur. „Causa remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa remissionis effectiva est vel devotio vel labor vel datum recipientis indulgentiam, aut causa pro qua datur indulgentia: unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundabunt; et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur . . . Et ideo est dicendum, quod indulgentiae simpliciter tantum valent quantum praedicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas et ex parte recipientis caritas et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.“ [1])

Quibus omnibus declaratis iam intelligitur quae ab Alberto M. statuitur indulgentiae *definitio: „indulgentia est remissio poenae iniunctae* [2]) *ex vi clavium et thesauro supererogationis perfectorum procedens“* [3]).

Divisio indulgentiarum.

Indulgentiae dividuntur ratione *subiecti*, cui alligantur, in *locales* quae sc. ecclesiis, altaribus, statuis etc. annexae sunt, in *reales* quae rebus v. g. rosariis, crucifixis etc. inhaerent, in *personales* quae certis personis v. g. membris confraternitatum conceduntur; ratione *temporis*, pro quo dantur, in *perpetuas* et *temporarias;* ratione *effectus* in *totales* et *partiales* sc. tot dierum, annorum, quadragenarum. Indulgentiae quia „tantum valent quantum praedicantur“ [4]), *totalis* indulgentiae nomine intelligitur totius poenae temporalis remissio. Legitur aliquando indulgentia totalis esse vel *plena* vel *plenior* vel *plenissima:* iam vero hic gradus comparationis non videtur adhiberi nisi emphatice et ad maiorem rei declarationem vel etiam ut significetur, superaddi quoque facultatem eligendi confessarium, potestatem a reservatis absolvendi, commutandi vota. Inter plenarias in-

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 25 a. 2.

[2]) Sensus formulae «poenae iniunctae» non est is, ut sola obligatio poenarum ab Ecclesia iam iniunctarum solvi intelligatur; sed poena etiam Deo debita, cuius luendae gratia ab Ecclesia poenitentiae iniunguntur. „Adiectio non est restrictiva, sed potius ampliativa: quia maius quid videtur remittere poenas pro quibus sacramentalis poenitentia iam est iniuncta, quam reliquas poenas“ (Suarez, Disp. 50 sect. 5 assert. 2).

[3]) Albert. M. 4 dist. 20 a. 16.

[4]) S. Th. Suppl. q. 25 a. 2.

dulgentias eminet Iubilaeum, quod ab aliis indulgentiis plenariis non differt nisi propter privilegia annexa maioremque qua celebratur sollemnitatem. Indulgentiae *partiales* tot dierum vel annorum vel quadragenarum significant remissionem poenarum, quae lui potuissent poenitentia tot dierum vel annorum vel quadragenarum secundum antiquum Ecclesiae ritum peracta. Neque haec tempora intelliguntur, ut nonnulli videntur existimavisse, de diebus vel annis purgatorii, sed de poenitentiis in hoc saeculo vel iniunctis vel iniungendis et de poenis purgatorii illis respondentibus. Nam „a. saepe conceduntur mille vel decem mille anni indulgentiae, cum tamen poenae purgatorii ordinarie non sint tanto tempore duraturae, ut creditur; b. ex verbis ipsis constat per illa nomina «quadragena, septena» et similia significari antiquas poenas, quae olim erant in usu Ecclesiae, et iuxta illas fieri hanc remissionem; c. poena purgatorii non duratione tantum, sed etiam intensione et acerbitate poenarum mensuratur, unde verisimile non est aeque remitti tot annos illius poenae, sive intensa sit sive remissa.“ [1])

Quatuor praecipue probanda erunt: existentia thesauri, potestas Ecclesiae concedendi indulgentias, utilitas, quam ex indulgentiis hauriant tum animae in purgatorio detentae tum fideles in terra viatores.

Thesis 20.

Est in Ecclesia thesaurus coalescens ex meritis Christi et sanctorum.

Duplex cognovimus esse indulgentiarum fundamentum: thesaurum Ecclesiae et potestatem clavium. Thesi hac de thesauro agetur. Quem thesaurum ex satisfactionibus tum maxime Christi tum etiam sanctorum constare dicimus eiusque dispensationem ad Ecclesiam pertinere. Ut vero obiectionibus occurratur, sedulo distinguere oportet operis valorem satisfactorium et meritorium. Nomen enim *meriti* quamvis saepe latius atque generice sumatur, ita ut valorem satisfactorium includat, specifice tamen accipitur ita, ut exigentiam significet *praemii*, dum contra *satisfactio* refertur ad extinguendum

---

[1]) Suarez, Disp. 50 sect. 5 n. 11. — Indulgentiae mille annorum et ultra vel omnino apocryphae sunt vel, si erant aliquando genuinae, decreto ‚Urbis et Orbis‘ a. 1898 retractatae sunt.

debitum. Cum igitur indulgentiae consistant in debiti alicuius remissione, merita quae in ipsis applicantur, non applicantur nisi prout vim habent satisfactoriam. Quocirca quamvis thesaurus dicantur aliquando meritorum, merita tamen haec intelligenda sunt satisfactiones.

De satisfactionum Christi et sanctorum thesauro dubia movit *Franciscus de Mayronis,* de thesauro satisfactionum sanctorum *Durandus a S. Portiano,* esse huiusmodi thesaurum ab Ecclesia dispensandum infitiati sunt *Wicleffus* et *Hus,* ipsum vero thesaurum negavit *Lutherus,* cuius articulus 17 a Leone X damnatus sic habet: „Thesaurus Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum." Damnata etiam est haec propositio *Baii:* „Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur delicta nostra." Quibus accesserunt *Pistorienses,* quorum haec reprobata est propositio 41: „scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum et clare notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationem meritorum".

Existentia thesauri quamvis nequeat dici veritas definita, est tamen veritas certa, imo censeri poterit esse fidei proxima. *Vox* ipsa *thesauri* iam apud Origenem occurrit, qui dicit Dominum habere thesauros suos sc. passiones martyrum [1]; sensu vero determinato pro satisfactionum thesauro ab Ecclesia dispensando vocem primus usurpavisse fertur Alexander Halensis. [2]

DEMONSTRATUR: Est in Ecclesia *thesaurus satisfactionum.*

Duplex est fundamentum thesauri satisfactionum: sc. communio sanctorum et speciatim satisfactio vicaria. Atqui utramque veritatem in deposito fidei contineri certum est. Et sane, praeter ea quae alibi de communione sanctorum disseruntur quaeque omnia his Apostoli verbis breviter continentur: „Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra" (Rom. 12, 5), haec duplicem illam veritatem satis evincunt.

1. Ex *ratione* S. Thomas rem sic suadet: „Quod per amicos facimus, per nos ipsos facere videmur, quia amicitia ex duobus facit unum per affectum, et praecipue dilectio caritatis; et ideo sicut per se ipsum, ita et per alium potest aliquis satisfacere Deo, praecipue cum necessitas fuerit. Nam et poenam, quam amicus propter ipsum patitur, reputat aliquis ac si ipse pateretur; et sic poena ei non deest, dum patienti amico compatitur, et tanto amplius quanto ipse est ei causa patiendi. Et iterum affectio caritatis in eo, qui

[1] Origen. In Num. hom. 10, 2.
[2] Alex. Hal. De sacr. q. 23 membr. 3.

pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam quam si pro se pateretur; hoc enim est promptae caritatis, illud autem est necessitatis. Ex quo accipitur, quod unus pro alio satisfacere potest, dummodo uterque in caritate fuerit. Hinc est, quod Apostolus dicit (Gal. 6, 2): «Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi».“ [1]) Atque etiam magis ad rem nostram sic idem Angelicus: „Ratio quare valere possunt indulgentiae, est unitas corporis mystici, in qua multi operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; et multas etiam tribulationes iniuste sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum potest expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt; et praecipue propter meritum Christi, quod etsi in sacris operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate efficaciam sacramentorum excedit.“ [2])

2. In *Scriptura* saepe vel exprimitur vel supponitur, opera bona et passiones iustorum a Deo accipi ad satisfaciendum pro peccatis aliorum. Sic in Psalmis, apud Iob, Isaiam etc. Speciatim Deus profitetur, si Sodomis decem inventi fuerint iusti: „non delebo propter decem“ (Gen. 18, 32); pollicetur per Isaiam (4 Reg. 20, 6) se protecturum urbem „propter David servum“ iam mortuum. Quod idem Paulus Apostolus de se ipso clare testatur scribens (Col. 1, 24): „Gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia.“

3. In *Traditione* Ecclesiae veritas satisfactionis vicariae iam antiquitus explicite traditur et in dies manifestius praedicatur. Chrysostomus: „Si Iobi filios expiabat patris sacrificium: quid dubitas, an nobis pro eis qui excesserunt offerentibus, ipsis detur aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari . . . . Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora; et fieri potest ut veniam eis omni ex parte conciliemus a precibus, a donis quae pro eis offeruntur, ab iis qui cum ipsis vocantur.“ [3]) Ambrosius: „Donavit Christus Ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret . . . sive quod tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu et oratione et dolore est, et quasi fermento eius se totam conspergat, ut per universos ea, quae superflua sunt in aliquo poenitentiam agente, virilis misericordiae aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgen-

---

[1]) S. Th. C. gent. 3, 158.
[2]) S. Th. 4 dist. 20 q. 1 a. 3.
[3]) Chrysost. In 1 Cor. hom. 41, 5.

tur." [1]) Augustinus: „Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus et pro possessione virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus." [2])

Doctrinam hanc de thesauro satisfactionum, qui est in Ecclesia, testimoniis his iam satis clare contentam ipsa Ecclesia *praxi* sua maxime in publicae poenitentiae oeconomia eiusque relaxatione luculenter comprobavit. De qua re fusius in thesi subsequente dicetur.

Clarissime denique et plenissime totam de thesauro doctrinam tradidit *Clemens IV* in Bulla iubilaei a. 1350 his verbis: „Iesus Christus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse . . . Exinde ut ne supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater . . . Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum coeli clavigerum eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum et propriis ac rationabilibus causis nunc pro totali nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter quam specialiter prout cum Deo expedire cognoscerent, vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur, de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum tam propter infinita Christi, ut praedictum est, merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum."

SCHOLION. Quod *sanctorum* merita spectat, animadvertendum est, non ea asseri esse id, unde Ecclesia habeat potestatem dandi indulgentias, is enim unius Christi meritorum est fructus, sed una cum Christi meritis esse id, unde Ecclesia potestate a Deo data filiis suis largiri queat. Animadvertendum porro est non ideo coniungi ea meritis Christi, ac si haec non plene sufficerent, sunt enim haec infinita atque adeo ad quodcunque debitum tollendum sufficientissima, sed ideo quia reapse existunt nobisque applicantur, applicari vero, quemadmodum ex sensu novimus Ecclesiae, ne, cum sancti non omnes pro se ipsis iis eguerint, prout satisfactoriae sunt, maneant sine fructu. Animadvertendum denique est hoc ipso, quod hac ratione Christi meritis merita sanctorum misceantur, aperte ostendi excellentiam passionum Christi, quippe quae non solum expiare possint reatum peccatorum omnisque poenae, verum etiam vim expiandi, licet solas poenas temporales, valeant membris suis communicare.

---

[1]) Ambros. De poenit. 1, 80.

[2]) Augustin. In Ps. 61, 4.

Thesis 21.

Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias.

Potestas Ecclesiae alterum fundamentum est indulgentiarum. Pollere Ecclesiam generatim indulgentias concedendi potestate, ex decreto Tridentino de indulgentiis superius allegato est de fide; inniti hanc potestatem thesauro Ecclesiae, non quidem est de fide, sed ad dogmatis distinctiorem expolitionem pertinet.

Aliqua sunt imprimis animadvertenda: 1. etsi antiquitas usus indulgentiarum probari non posset, nihil inde contra potestatem ipsam eas concedendi liceret colligere, praesertim cum potestatis huius exercitium nullo modo sit necessarium; 2. quodsi vero talis usus probatur, is argumentum certissimum est, Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias; 3. ut indulgentiae ostendantur semper fuisse in usu, non oportet ostendere determinato quodam modo accidentali eas fuisse concessas, sed sufficit probare rem ipsam in usu fuisse, licet modus variis aetatibus fuerit varius.

DEMONSTRATUR: **1.** Potestas Ecclesiae concedendi indulgentias in *Scripturis* significari videtur.

Recolantur verba Christi Matth. 16, 19: „Quodcunque solveris etc.“; 18, 18: „Quaecunque solveritis etc.“; Ioan. 20, 23: „Quorum remisertis etc.“ Ex quibus hoc conficitur argumentum:

Christus Ecclesiae dedit potestatem plenam peccata fidelium remittendi; id quod probatum est thesi 10.

Atqui plena haec potestas complectitur etiam potestatem poenas remittendi post culpam remissam residuas; quod fit per indulgentias. Et sane: a. Poena quoque temporalis est animi aliquod vinculum; b. poena et culpa intime connectuntur, ita quidem, ut in Scripturis totus ex iis coalescens reatus peccatum appelletur, et ab Ecclesia ipsae indulgentiae dicantur concedi in remissionem peccatorum; c. finis potestatis peccata remittendi, qui est salutis consecutio, nequit obtineri, nisi potestas haec referatur etiam ad poenam remittendam.

Ergo Christus Ecclesiae dedit potestatem concedendi indulgentias. — Quod argumentum confirmatur facto Pauli Apostoli, qui Corinthio incestuoso, cui in nomine Christi poenam imposuerat ideo luendam, „ut spiritus salvus sit“ (1 Cor. 5, 5), postquam resipuit, per epistolam, ideoque extra sacramentum, partem huius poenae „in persona Christi“ condonavit (ἐγὼ κεχάρισμαι) (2 Cor. 2, 10).

2. Est *usus Ecclesiae* antiquus et universalis concedendi indulgentias.

Qui indulgentiarum usus in duas periodos commode distingui poterit.

1. In oeconomia *poenitentiae publicae* indulgentiae concedebantur. Videlicet in poenitentia publica praesertim solemni poenis, quae imponebantur luendae canonicae, illis satisfieri credebatur omnibus, quarum peccatores coram Deo rei erant, ita ut in reconciliatione poenitentes coram Deo ab omni poena absolverentur. Sic v. g. in Constitutionibus Apostolorum monetur episcopus: „Quemadmodum ethnicum baptismo lotum post didascaliam in ecclesiam inducis, similiter super hunc (poenitentem) manus impone tamquam poenitentia repurgatum, omnibusque pro eo deprecantibus restitues eum in antiqua eius pascua, eritque loco baptismi impositio manuum; etenim per impositionem manuum nostrarum Spiritus Sanctus dabatur credentibus . . .: nam quod Deus non solum ignoscat poenitentibus, sed et eos in pristinam dignitatem restituat, aliunde testatur sanctus David, qui post peccatum in Uriam commissum precabatur Deum dicens: redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me.“ [1]) Atqui illius poenae canonibus iniunctae atque adeo etiam poenae coram Deo luendae intuitu satisfactionum Christi et sanctorum ab episcopis pro potestate divinitus accepta saepe aliqua concedebatur relaxatio; quae quidem relaxatio est veri nominis indulgentia. [2]) — Relaxatio porro ista multipliciter locum habuit:

a. Erat imprimis consuetudo remittendi poenitentiam intuitu intercessionis *martyrum* seu libellorum pacis, qui ab iis impetrati erant. Admittebantur nimirum passiones martyrum loco satisfactionis a peccatoribus exhibendae. Erat autem haec relaxatio non sola condonatio poenae ecclesiasticae, sed non secus ac ipsa poenitentia canonica etiam coram Deo valere credebatur. Denique non ipsi martyres suas applicabant satisfactiones, sed illi soli, quibus erat auctoritas, sc. episcopi. Atque haec quidem apud Tertullianum et Cyprianum manifesta sunt. Tertullianus, quo tempore erat adhuc catholicus, sic martyres alloquitur: „Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt.“ [3]) Idem Montanista factus hunc usum testatur, sic in Romanum Pontificem invehens: „At tu iam et in martyres tuos effundis hanc potestatem (remittendi

---

[1]) Constit. Apost. 2 c. 3, 38. — Alia testimonia afferuntur a Schmitz in ‚Katholik‘ 1885 I, 349 sq. Cf. etiam Schmitz, Die Bussbücher II, 94 sq.

[2]) Aliqui, ut Palmieri (De poenit. p. 466), putant, ipsam *reconciliationem*, cum esset actus potestatis coram Deo efficax, iam fuisse aliquam indulgentiam. Alii, ut Schmitz (l. c. 368 sq.), opinantur, reconciliatione iam plenam pro poenis praestitam supponi satisfactionem, nec indulgentiam inveniri nisi in poenitentiae *relaxatione*. Verius fortasse dicetur, in reconciliatione, quae per se satisfactionem exhibitam supponat, concessam fuisse remissionem omnium poenarum, etiamsi fortasse pro iis plene satisfactum non erat.

[3]) Tertull. Ad martyr. 1.

peccata). Ut quisque ex confessione vincula induit adhuc mollia in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores, iam preces circumsonant, iam lacrimae circumstagnant maculati cuiusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt quam qui Ecclesiam perdiderunt . . . Pacem ab his quaerunt, qui de sua periclitantur. . . . Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit nisi solus Dei Filius? . . . Proinde qui illum aemularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me; si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?“ [1]) Praxim illam Ecclesiae non minus clare testatur Cyprianus: „Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperint, praerogativa eorum apud Deum adiuvari possint.“ [2]) Idem Cyprianus: „Poenitenti, operanti, roganti potest Dominus clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes.“ [3]) Clerus Romanus aliquos lapsos qui solis martyrum litteris fidebant reiecit dicens: „Si dandam illis pacem martyres iudicaverunt, cur ipsi non dederunt, cur ad episcopum remiserunt?“ [4])

b. *Aliae* occasiones indulgentias concedendi hae erant: Tempore persecutionis saevientis mos erat, ut qui antea lapsi postea pro fide dura passi erant, iis tota pro lapsu luenda poena remitteretur; imo etiam intuitu passionum futurarum. Quando quis ab haeresi reversus alios exemplo suo ad resipiscentiam adduxit, ei omnis poena canonica remittebatur. Moribundis quamvis non semper, at certe frequenter, imo tempore posteriore frequentissime plena condonabatur poenitentia agenda, quemadmodum ex canone 13 Nicaeno patet. [5]) Feria quinta hebdomadae maioris, quae dies indulgentiarum vocabatur, etiam iis „indulgentia“ dabatur, qui poenitentiae canonicae nondum plene satisfecerant; idque nonnunquam „ad tempus“ sc. usque ad Pentecosten vel etiam aliquorum annorum. [6])

---

1) Tertull. De pudic. 22.

2) Cyprian. Epist. 18.

3) Cyprian. De laps. 36.

4) Cyprian. Epist. 30.

5) Hinc ortum habuit „*Benedictio Apostolica in articulo mortis*“, qua indulgentia plenaria conceditur in vero mortis articulo obtinenda. Cf. ‚Pastor bonus‘ 1897, 555 sq.; 1898, 205 sq.

6) Cf. Schmitz in ‚Katholik‘ 1885 I, 487 sq. — Multi theologi etiam in usu „*redemptionis*“ poenitentiae canonicae speciem indulgentiae invenire sibi videntur. Contradicit Schmitz, qui probare nititur hanc redemptionem non inniti auctoritate ipsius Ecclesiae, sed potius ab ea fuisse reprobatam. Cf. Schmitz l. c. 622 sq.

2. Post saeculum 7, cum praxis poenitentiae canonicae paulatim defecisset, poenae canonicae graviores in alia opera leviora sive caritatis sive pietatis coeptae sunt *commutari*. Inter quas indulgentias praecipue recensendae sunt:

Indulgentiae *stationum Urbis*, quas primum Gregorium M. concessisse colligi potest maxime hisce Bonifatii VIII verbis in Bulla ‚Sublimi': „Sollicita meditatione discutimus, qualiter B. Gregorius pluribus Urbis ecclesiis primo, prout tradit antiquitas, et alii postmodum Romani Pontifices praedecessores nostri diversorum tenorum stationarias indulgentias concesserunt." In quibus indulgentiis concedendis Pontifices Romani ad „suffragia Apostolorum" maxime provocare solebant. — Peregrinationis huius ad basilicas Urbis, cui inde a saeculo 10 peregrinationes *Hierosolymitana* et *Compostellana* apparent adiunctae, anno 1300 Bonifatius VIII indulgentiam confirmavit et in perpetuum sanxit plenissimam pro anno *iubilaei*.

Iudulgentiae huc spectant plenariae, quae inde a saeculo 11 concessae sunt auctoritate principum Apostolorum arma sumentibus et praeliaturis tum adversus infideles *Terram Sanctam* in sua potestate retinentes („iter illud pro omni poenitentia reputetur", ut dicit Urbanus II in Synodo Claromontana 1096), tum adversus *Albigenses, Waldenses, Husitas*.

Indulgentiae denique variae tum plenariae tum partiales inde a saeculo 11 concedi solebant in *dedicatione ecclesiarum*, in *canonisatione sanctorum*, ad eleemosynas praesertim obtinendas pro *templis construendis* vel *reparandis*. Saeculo 14 tanta hac in re Romanorum Pontificum aliquorum fuit facilitas atque liberalitas, ut nonnullis nimia atque reprehendenda videretur. [1])

SCHOLION 1. Quaeritur *cuiusmodi* sit potestas indulgentiarum concedendi, ordinis an iurisdictionis. Respondet S. Thomas: „Clavis est duplex, sc. ordinis et iurisdictionis. Clavis ordinis sacramentale quoddam est; et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo: ideo non potest taxare sacerdos, quantum per clavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimittatur; sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. Sed clavis iurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus eius arbitrio hominis subiacet: et huiusmodi clavis effectus est remissio, quae est per indulgentias; cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum

---

1) Ita e. g. de Bonifatio IX S. Antoninus haec scribit (3 p. hist. tit. 22 c. 3): „Replevit orbem terrarum indulgentiis plenariis, ita ut parvae ecclesiae in suis festivitatibus parvo pretio eas obtinerent pro porrigentibus manus adiutrices in subsidium earum, eas tamen circa finem sui Pontificatus omnes, quas contulerat, revocavit." Concilium Lateranense IV reprehendit (can. 62), quosdam episcopos de „indiscretis et superfluis indulgentiis", et statuit in dedicatione ecclesiarum non esse concedendas indulgentias ultra annum, et in anniversario eius non ultra quadraginta dies.

talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae. Et ideo etiam legati non sacerdotes indulgentias facere possunt. Unde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de poena remittitur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales indulgentias: nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur.“ [1])

2. Quaeritur, *cui* proprie competat potestas dandi indulgentias. Certum est ordinariam potestatem dandi indulgentias non esse nisi Papae et episcoporum. De quibus ita S. Thomas: „Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno. Sed episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus praepositi: propter quod eos solos in suis litteris Papa fratres vocat; reliquos autem omnes vocat filios. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in episcopis est taxata secundum ordinationem Papae. Et ideo possunt facere secundum quod eis est taxatum; et non amplius.“ [2])

Thesis 22.

Indulgentiae animabus purgatorii applicari possunt.

Animas in purgatorio detentas suffragiis nostris ac maxime ipsius Ecclesiae iuvari posse, dogma fidei est iam antiquissimis temporibus clare praedicatum et a Concilio Tridentino diserte definitum. [3]) Posse vero Ecclesiam defunctis concedere *indulgentias*, non est definitum ab Ecclesia; verum, quemadmodum ex theseos demonstratione elucebit, *certissimum* est.

DEMONSTRATUR: Indulgentiae *defunctis* applicari possunt.

I. *An* sit probatur.

1. Ex *praxi Ecclesiae* ostenditur. [4])

Primi qui noscuntur clare docere indulgentias etiam mortuis applicari posse, ita ut a purgatorio liberentur, sunt *S. Raymundus de Pennafort* (1234—1244) et *Albertus Magnus* (1240), quamvis tempore eorum nondum videatur certo constitisse, fuisse ab Ecclesia

[1]) S. Th. Suppl. q. 25 a. 2 ad 1.

[2]) S. Th. Suppl. q. 26 a. 3. — Damnata est haec propositio Eibelii a Pio VI: „quemlibet episcopum pari modo atque Papam posse indulgentiam concedere“.

[3]) Cf. tract. de Deo consummante p. 36.

[4]) A Luca Tudensi († 1249) inducitur *Isidorus Hispalensis* († 636) clarissime indulgentias mortuorum docens; at testimonium hoc interpolatum est. Neque certae sunt indulgentiae, quae Pontifices *Paschalis I* (a. 817), *Ioannes VIII* (c. 878), *Ioannes IX* defunctis concessisse feruntur. Absolutio enim mortuorum, de qua isti loquuntur, non necessario indulgentiam significat, sed potius ex usu loquendi illius aetatis solutionem a censuris ecclesiasticis. Cf. Paulus in ‚Zeitschrift für kath. Theologie‘ 1900, 1 sq.

indulgentias mortuis concessas. *S. Thomas* (1252—1257) probat, nihil obstare, quominus Ecclesia per vivos mortuis concedat indulgentias. [1]) *Alexander Halensis* († 1245) et *S. Bonaventura* accurate statuunt, Ecclesiam tales indulgentias concedere per modum suffragii sive impetrationis. Ergo saeculo 13 doctrina de indulgentiis mortuorum iam satis erat communis et saeculo 14 evasit communissima. [2])

Cum iam saeculo 13 et magis 14 a christifidelibus privata velut auctoritate indulgentias defunctis applicandi mos erat [3]), cumque iisdem christifidelibus persuasum fuisse videtur, se posse maxime in celebrioribus Urbis ecclesiis indulgentias lucrari pro defunctis: primum demum documentum authenticum, quod certo afferri possit, indulgentiam talem concedens est Bulla Cruciatae Calixti III a. 1457. Idem Calixtus III talem indulgentiam concessit ecclesiae cathedrali Tyrazonensi in Hispania, Sixtus IV a. 1476 pro reparatione ecclesiae Xantonensis in Gallia, et deinceps alii Pontifices frequentius. [4])

Ergo quando a Reformatoribus quemadmodum universae indulgentiae sic speciatim indulgentiae mortuis applicandae coeptae sunt negari, fides in eas iam dudum consensu satis communi in Ecclesia admittebatur. Atqui „si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, iam quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est“. [5]) Iure merito itaque a Leone X damnata est propositio Lutheri: „Indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles mortuis etc.“; et a Pio VI propositio Pistoriensium: „luctuosius esse, quod chimaerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos“, declarata est „falsa,

---

[1]) S. Th. 4 dist. 45 q. 2 a. 3; Suppl. q. 71 a. 10. — S. Thomas (l. c. 1) verbis magistri sui Alberti M. ad „consuetudinem Ecclesiae“ provocat, „quae facit praedicari crucem, ut aliquis habeat indulgentiam pro se et animabus tam vivorum quam mortuorum“. Verum Albertus circa hanc consuetudinem animadvertit, exemplum talis indulgentiae certum sibi nullum innotuisse.

[2]) Nihilominus Henricus de Susa a. 1261 creatus episcopus Ostiensis in Commentario in Decretalia, imo etiam Franciscus de Maironis († 1327) aliique eousque negaverunt indulgentias posse applicari defunctis, „quia, aiunt, potestas clavium non extenditur ad tales“. Cf. Paulus l. c.

[3]) Sic praecipue indulgentia S. Mariae de Angelis, quae „Portiunculae“ dicitur.

[4]) Cf. de tota hac quaestione historica *Eus. Amort*, Hist. indulgent. et praecipue *Nic. Paulus* l. c. 1900, 1 sq.; 249 sq. — Provocatur a non paucis theologis etiam ad propositionem Petri de Osma damnatam a Sixto IV a 1479, quae sic habet: „Romanum Pontificem purgatorii poenam remittere non posse.“ Atqui sensus huius propositionis videtur esse: „Pontificem non posse indulgere poenam purgatorii alicui in carne viventi.“ Videtur enim Petri Oxomensis propositio ipsa haec fuisse: „Papa non potest indulgere alicui vivo poenam purgatorii.“ Nec verosimile est, legendum esse, ut volunt nonnulli: „alicui viro“. Cf. Paulus in ‚Katholik‘ 1898 II, 92 sq. et 475 sq.

[5]) Augustin. Epist. 54, 5.

temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa".

2. Ex *ratione theologica* suadetur.

„Non est aliqua ratio, quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos." [1]) Imo ratio est, cur merita haec in mortuos possit transferre. Nam „caritas, quae est vinculum Ecclesiae membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in caritate decedunt; caritas enim, quae est vita animae, sicut anima est vita corporis, non finitur." [2]) „Neque enim, ita Augustinus, piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia . . . Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra eius sunt?" [3]) Audiatur S. Bonaventura: „Quia bona et thesaurus est in Summi Pontificis potestate, et illi, qui sunt in purgatorio, ratione caritatis idonei sunt spiritualia beneficia recipere, Papa potest eis bona Ecclesiae communicare." Idem Seraphicus: „Quia in omni opere Domini est misericordia et veritas, duo sunt quae faciunt suffragia Ecclesiae valere, scilicet dignitas et necessitas. Iustitia enim considerat dignitatem, et digni sunt, qui in caritate decesserunt, et ab aliis membris Ecclesiae adiuvari meruerunt, maxime si ipsi alios adiuverunt. Misericordia vero considerat necessitatem: et haec quidem magna est in his, qui sunt in purgatorio, quia graviter puniuntur et se iuvare non possunt." [4])

2. *Quomodo* res sit declaratur.

Cum animae in purgatorio detentae Ecclesiae iurisdictioni amplius non subsint, indulgentias patet eis concedi non posse per modum absolutionis. Neque tamen indulgentia, quae defunctis conceditur, concipienda est ut simplex debiti eorum remissio. Ex praxi enim Ecclesiae et fidelium sensu, ut defunctis fiat indulgentia, semper aliquod opus pium vivorum intercedat oportet. Directe igitur et principaliter huiusmodi indulgentia conceditur ei, qui eam accipit, sc. qui „facit hoc, pro quo indulgentia datur" [5]), atque inde fit, ut etiam huiusmodi indulgentiarum concessio actus sit iurisdictionis [6]); indirecte et secundario conceduntur defunctis. Vivis porro conceduntur non quidem formaliter, ac si iis propria ipsorum poena remittatur, sed meritorie, quatenus sc. vivi opus pium ponentes merentur facultatem id,

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 71 a. 10.
[2]) S. Th. Suppl. q. 71 a. 2.
[3]) Augustin. De civ. Dei 26, 9.
[4]) S. Bonav. 4 dist. 20 p. 2 q. 5; 4 dist. 45 a. 2 q. 1.
[5]) S. Th. Suppl. q. 71 a. 10.
[6]) Hinc Romani Pontifices inde a Sixto IV tales concedentes indulgentias ad „plenitudinem potestatis" et „auctoritatem apostolicam" provocant.

quod ex thesauro Ecclesiae, a Romano Pontifice subministrato, sibi ipsis acquirere possent, defunctis applicandi.

Huiusmodi indulgentiarum concessio per modum *suffragii* fieri dicitur; voce suffragii non tantum universe accepta pro auxilio quocunque sive fiat merendo sive impetrando sive satisfaciendo, sed sensu presso, quatenus sc. indulgentiae, cum satisfactiones thesauro Ecclesiae inclusas contineant, rationem habent auxilii satisfactorii. Modus porro hic dicendi non id sibi vult, indulgentiam non plus valere quam reliqua fidelium suffragia, „sed eam perinde valere, i. e. per eum modum ac si, i. e. per quem orationes et eleemosynae valent.[1]“ Nec sic quidquam diminuitur de indulgentia vel de auctoritate eam concedendi, sed significatur solum, indulgentiam talem dari pro pia causa a vivis facienda, cum animae purgatorio detentae ipsae nihil possint contribuere.

Hinc iudicium ferri poterit de quaestione, utrum qui defunctis indulgentiam lucrari voluerit, debeat saltem in fine operis praescripti reperiri in statu gratiae. „Suffragia, ita S. Thomas de suffragiis universe sumptis, valent defuncto, quamvis illi, per quos fiunt, in peccato existant; magis tamen valerent, si essent in caritate, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.“[2] Verum haec de iis indulgentiis, in quibus ratio spectatur satisfactionis, per se non valent. Sunt igitur theologi, qui ut quis pro defunctis indulgentiam lucretur, nisi id explicite in conditionibus ponatur, statum in eo gratiae non requiri existiment. Atque in his ex vetustioribus Peraudius legatus Pontificius, ex sequioribus Suarez, Busembaum, Ballerini etc.[3] Qui quidem theologi inde praesertim moventur, quod, ut aiunt, ab ipsa Ecclesia defunctis indulgentia applicatur, status vero gratiae non videtur exigi nisi in eo, qui ipse sibi indulgentiam lucratur. Verum non Ecclesia mortuis applicat indulgentias, sed concedit ‚applicabiles‘, applicandas utique a vivis. Nec porro oblatio a peccatore facta Deo accepta esse videtur. Cum praeterea qui indulgentiam applicat defuncto, ex propria huius indulgentiae natura videatur debere operari ad modum illius qui suffragatur, ea videri potest in ipso requiri conditio omnis, quae requiritur in illo, cui indulgentia applicatur, requiri proinde status gratiae.[4]

---

[1] Sic Sixtus IV apud Amort 2, 293.

[2] S. Th. Suppl. q. 71 a. 3.

[3] Quam opinionem suam fecerunt *Instructio Moguntina* (a. 1517) aliaeque Instructiones et secutus fuisse videtur *Ioannes Tetzel* in praedicanda iubilaei indulgentia. Cf. Paulus, Ioh. Tetzel, Der Ablassprediger.

[4] S. Congregatio Indulgentiarum hac de quaestione interrogata die 22 febr. respondit: consulantur probati auctores; controversiam igitur dirimere noluit.

SCHOLION 1. Modum, quo indulgentiae prosint defunctis, si inquiramus, alii *ex condigno* sive ex iustitia eas illis prodesse dicunt, alii indulgentias iis prodesse solum ex Dei misericordia et *de congruo*. Utriusque sententiae argumenta legi possunt apud Bellarminum, qui rem ita concludit: „Ex his sententiis neutram reprobare audeo; videtur enim prior admodum pia, posterior vero valde rationabilis.“[1]) Quidquid est, hoc sane est certum non posse admitti, indulgentia alicui defuncto applicata „non esse ultra opus pro animabus ipsis orare aut pia suffragia facere“ [2]).

2. Augustinus haec habet: „Eis haec (suffragia) prosunt, qui, cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse meruerunt.“ [3]) Ex quibus Caietanus concludit, ut defuncto possint fieri indulgentiae, eum, dum viveret, oportere fuisse devotum clavium Ecclesiae, mortuos suffragiis iuvare studuisse ac pro suis ipsius peccatis satisfacere.[4]) At haec quamvis pie sint dicta, vix cuipiam probabuntur. Nihil enim aliud, ut defuncti adiuvari possint, requiritur nihilque ab Augustino aliud exigitur, nisi quod adiuvari meruerint defuncti, quatenus in caritate, quae est communionis sanctorum fundamentum, demortui sint. Nihilominus credi potest, indulgentias ac suffragia magis aut minus defunctis prodesse pro maiore aut minore laborum virtutumque, quibus in terris operam dederunt, mensura.

Thesis 23.

Indulgentiarum usus populo christiano salutaris est.

Res est per se evidens ac praeterea de fide. Declaravit enim Concilium Tridentinum (Sess. 25), „indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem“ esse. Nihilominus quid prosint indulgentiae, paucis dicemus.

DEMONSTRATUR: Indulgentiarum usus *salutaris* est.

Praeter effectum formalem, sc. *remissionem poenae temporalis atque purgatorii*, quae animam a beatifica visione retardat, de quo effectu non est, cur plura dicantur, alia quae ex indulgentiarum doctrina et usu sequuntur commoda haec fere sunt:

1. Instruuntur fideles modo quodam singulari de variis fidei christianae veritatibus, de poena post culpam remissam manente, de Ecclesiae potestate, de thesauro Ecclesiae, de communione sanctorum, de Dei iustitia aeque ac misericordia.

2. Commonentur, id quod satis unquam fieri nequit, de severo, quod quondam de peccatis Ecclesia tulit, iudicio, de gravibus atque

---

1) Bellarm. De indulg. 1, 14. — Cf. ‚Pastor bonus‘ 1898/99, ubi rationes exponuntur, quibus suadetur, indulgentias defunctis prodesse de condigno atque infallibiliter.

2) Sixtus IV apud Amort 2, 292.

3) Augustin. Enchir. 110.

4) Caiet. De indulg. 16, 5.

diuturnis, quas imponere solebat, poenitentiis, de fervore denique admirando, quo priorum saeculorum christiani peccatorum suorum poenas luere satagebant.

3. Excitantur ad satisfaciendi studium, ad caritatem erga animas purgatorii fovendam, ad frequentem usum sacramentorum, sine quo nec peccata mortalia delentur nec proinde indulgentia ulla acquiritur [1]), ad innumera denique opera bona et salutaria, ad quae nisi spe indulgentiarum illecti haud frequenter adducuntur.

Hinc S. Ignatius inter „Regulas sentiendi cum Ecclesia" merito ponit etiam hanc: „laudare indulgentias".

SCHOLION. Quae quamvis ita sint, *modus* tamen hac in re semper adhibendus est. Ipsi Romani Pontifices saepe monuerunt, in indulgentiis concedendis uti oportere *moderatione* tum „quod quamvis huiusmodi indulgentiae multum valeant ad remissionem poenae, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu praemii essentialis, quod in infinitum melius est quam dimissio poenae temporalis" [2]); tum „ne per indiscretas et superfluas indulgentias et claves Ecclesiae contemnantur et poenitentiae satisfactio enervetur" [3]). Quocirca etiam *abusus*, qui nonnunquam circa indulgentiarum praxim irrepserant, Romani Pontifices et episcopi sapientiores semper emendandos et corripiendos curaverunt. [4])

---

[1]) Ipse *Tetzel* in annuntianda indulgentia palam professus est, neminem sibi lucrari indulgentiam, nisi in vera sit contritione et Dei amore. Cf. Paulus, Iohann Tetzel, Der Ablassprediger.

[2]) S. Th. Suppl. q. 25 a. 2.

[3]) Cap. ‚Ex eo' 14 de poenit. et remiss.

[4]) Sic v. g. Innocentius III in Concilio Lateranensi (1215), Innocentius IV in Concilio Lugdunensi (1245), Clemens V in Concilio Viennensi (1312). Sic Conradus archiepiscopus Coloniensis a. 1255 concedens indulgentiam 40 dierum et unius quadragenae iis, qui ad construendum sacellum S. Sabinae in Enscheit dioeceseos Treverensis eleemosynam largiti fuerint, statuit: „Praesentes per quaestuarios emitti firmiter inhibemus." Cf. ‚Pastor bonus' 1897, 382. — Cf. praeterea decreta S. C. Indulgentiarum 12 ian. 1878, 24 ian. 1897, 26 mai. 1898.

DE EXTREMA UNCTIONE.

„Sacramentum extremae unctionis non modo poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus."

Conc. Trid. Sess. 14 prooem. de extr. unct.

1. *Vocatur* hoc sacramentum inde a saec. 9 *extrema unctio* [1]), quia per quandam unctionem in extremo vitae periculo confertur atque adeo solet esse extremum omnium sacramentorum. Appellatur etiam *sacra unctio, unctio infirmorum, medicina sancta,* sacramentum *exeuntium,* a Graecis εὐχέλαιον, *oratio cum oleo.*

2. *Definitur* extrema unctio: N. L. sacramentum quo per unctionem et orationem sacerdotis fidelis graviter aegrotans in anima et corpore alleviatur.

Dicendum erit 1. de *existentia,* deinde 2. de *essentia,* sc. de ritu, effectu, ministro, subiecto extremae unctionis.

Caput I.

De existentia extremae unctionis.

Thesis 1.

Extrema unctio est proprie dictum sacramentum.

Veritatem huius sacramenti negaverunt Waldenses, Albigenses, Wicleffus, Lutherus, Calvinus. Contra quos Concilium Tridentinum (Sess. 14 c. 1) haec definivit: „Si quis dixerit, extremam unctio-

---

[1]) Occurrit haec vox in oratione habita a Prudentio episcopo in honorem S. Maurae medio saec. 9. Cf. Bolland. Tom. 6 sept. p. 278.

nem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum: a. s."

DEMONSTRATUR: Extrema unctio est *sacramentum.*

1. Ex *ratione theologica* suadetur.

Concilium Tridentinum (l. c.) hunc in modum arguit: „Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita extremae unctionis sacramento finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit; nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit."

2. Ex *Scriptura* probatur.

„Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei" (Iac. 5, 14 sq.). Quibus verbis testante ipso Concilio Tridentino docemur, extremam unctionem esse sacramentum. Et sane ipsa verborum proprietas id evincit. Postquam enim Apostolus in antecedentibus fideles ad patientiam ac constantiam in rebus adversis cohortatus et tristes solatus est, gradum facit ad *infirmos* (ἀσθενεῖ τις), qui speciali indigent adiumento. Iam vero ad hos iuvandos non quoslibet, sed *presbyteros* iubet vocari. Remedium porro illis adhibendum statuit *unctionem* et *orationem* idque ita, ut ex utroque coalescat quid unum, cuius praecipua pars ac elementum formale sit oratio (προσευξάσθωσαν ἐπ'αὐτὸν ἀλείψαντες ἐλαίῳ); fieri vero hoc debet *in nomine Domini* (ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου), i. e. vel ex mandato Christi vel saltem sub invocatione et ex virtute nominis Christi. Ex quo medio adhibito duplex docetur sequi effectus: generatim eo dicitur infirmus ac decumbens (κάμνων) *salvari* (σώζειν) atque a Domino *alleviari* (ἐγείρειν = suscitare); speciatim quando infirmus *peccata* commiserit, haec dicuntur ei remitti (ἀφεθήσεται αὐτῷ). Atqui his ea omnia continentur, quae sunt de ratione sacramenti. Enuntiatur sc. *ritus sensibilis,* unctio et oratio; *gratia,* ut patet ex verbis „salvabit", „alleviabit", „peccata remittentur"; *nexus causalis* inter ritum et gratiam, cum dicitur: „oratio fidei salvabit infirmum".

— Non vero loqui Apostolum, ut volunt Lutherani, de cura aegrorum ordinaria vel de extraordinaria gratia sanationis, de qua sermo est Marc. 6, 13 et 1 Cor. 12, 9, patet: a. ex *subiecto*, quod non sunt omnes miseri, sed decumbentes, b. ex *ministro*, qui exhibetur esse solus presbyter, c. ex *effectu*, qui est peccatorum remissio. Hinc Concilium Tridentinum hanc explicationem damnavit definiens (can. 2): „Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: a. s."

3. Ex *Traditione* probatur.

1. Ex antiquitate *absoluta*, cuius sunt testimonia et verba Iacobi authentice interpretantia et unctionem extremam sacramentum exhibentia. — Quodsi antiquiores Patres huius sacramenti rarius mentionem faciunt, id inde explicari poterit, tum quod illud ad arcani disciplinam spectabat et privatim atque in abscondito dabatur, tum quod cum infirmis una cum poenitentiae sacramento soleret conferri, huius veluti habebatur pars ac complementum.

Audiantur *Patres*. Tertullianus in haereticis reprehendens, quod non solum sacerdotes, sed etiam „mulieres audeant docere . . . curationes repromittere, fortasse an et tingere" [1]), plus quid quam curationem ordinariam significare dicendus videtur. Origenes enumerans modos remittendi peccata, in remissione quae est per poenitentiam, qua sc. „peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam", docet „impleri et illud quod Iacobus Apostolus dicit: Si quis infirmatur etc." [2]) Chrysostomus extollens sacerdotum munera ac potestatem, ut probet eos posse „non tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare", ad Apostoli provocat verba: „Infirmatur quis etc. [3])" — Caesarius Arel. (?) aegrotum christifidelem iubet „corpus et sanguinem Christi accipere et corpusculum suum ungere, ut illud quod scriptum est impleatur in eo: Infirmatur quis etc."; unde, ait, „eum qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam mereri obtinere". [4]) Innocentius I haec scribit: „Non est dubium, (verba Iacobi) de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis [5]) perungi possunt, quod episcopo confectum non solum sacerdotibus, sed et

---

[1]) Tertull. De praescr. 41.

[2]) Origen. Hom. 2 in Levit.

[3]) Chrysost. De sacerd. 3, 6.

[4]) Augustin. Opera, Sermo 215 (265) et 279.

[5]) Chrisma omne genus unguenti significat, non vero solum chrisma confirmationis.

omnibus uti christianis licet in sua aut suorum necessitate ungendum[1] . . . Poenitentibus (i. e. publicis) istud oleum infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus aliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?"[2] In Sacramentario S. Gregorii haec leguntur: „Deinde a sacerdote dicatur oratio: Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es: Infirmatur quis etc., cura, quaesumus, Redemptor noster, gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi et sua sana vulnera eiusque dimitte peccata atque dolores cunctos cordis et corporis expelle plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiae tuae restitutus et sanatus ad pristina pietatis tuae reparetur officia." Porro: „Inungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus S.: ut non lateat in te spiritus immundus neque in membris neque in medullis neque in ulla compagine membrorum; sed in te habitet virtus Christi altissimi et Spiritus S.: quatenus per huius operationem mysterii et per hanc sacrati olei unctionem atque nostram deprecationem virtute sanctae Trinitatis medicatus sive fotus pristinam et immelioratam recipere merearis sanitatem."[3]

Eodem modo loquuntur *Concilia*. Concilium Cabilonense (813) iubet, „secundum B. Iacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmos oleo, quod ab episcopo benedicitur, a presbyteris ungi". Concilium Aquisgranense (836) approbat capitulare Caroli M., vi cuius „presbyteri quando ad infirmum accedunt, cum oleo consecrato veniant et oleo sancto ungant eum in nomine Domini et orent pro ipso, et oratio fidei, sicut scriptum est, salvet infirmum etc." Similiter Concilium Moguntinum (847) et Wormatiense (868).

2. Ex antiquitate *relativa*. Consensus et theoreticus et practicus erat Ecclesiae universae tum occidentalis tum orientalis ex pluribus iam saeculis, quando sacramenti huius veritas coepit negari. Atqui hic consensus argumentum est certissimum inde ab Apostolis hoc sacramentum fuisse admissum. Cf. de sacram. in genere th. 10.

SCHOLION. Extrema unctio cum sacramentum sit, ab ipso *Christo* est *instituta* idque *immediate*. Cf. de sacram. in genere th. 3; de confirmat. th. 1 Scholion.

Quaeritur *quando* hoc sacramentum fuerit institutum. Erant qui existimarent, illud institutum fuisse, cum Christus Apostolos ad infirmos curandos mitteret; id quod putant exprimi cum dicatur: „Et ungebant oleo multos

[1]) Sensus est: non solum presbyteris, qui infirmos inungunt, sed omnibus christianis concessum esse hoc sacramentum recipere.

[2]) Innoc. I Ep. ad Decent. 8.

[3]) Gregor. Sacrament. Ed. Maur. t. 3, p. 225 sq. — Sacramentarium hoc saeculi 8 est; at qui eo continentur ritus, certe antiquiores sunt.

aegrotos et sanabant" (Marc. 6, 13). Verum quamvis sit verum, hac aegrotorum unctione fuisse sacramentum „insinuatum" (Conc. Trid.), imo Salvatorem eius „specimen quoddam dedisse" (Catech. Rom.): nihilominus unctio illa Apostolorum non videtur dicenda fuisse extremae unctionis sacramentum, tum quia unctio illa ad sanitatem corporalem principaliter videtur fuisse facta, tum quia non solum baptizati, sed quilibet, non solum graviter decumbentes, sed infirmi omnes videntur fuisse uncti, tum denique quia Apostoli tunc nondum erant ordinati sacerdotes, ut sacramentum hoc ministrare possent.[1])

Quo itaque tempore sacramentum hoc institutum fuerit, certo non constat. Verosimile tamen est, institutum illud fuisse *post Christi resurrectionem*, quando Apostolis potestatem fecit in corpus suum mysticum et poenitentiae instituit sacramentum, cuius extrema unctio quasi quoddam est annexum.

Caput II.

De essentia extremae unctionis.

Hic imprimis de *ritu sensibili* dicetur; deinde de *effectu* sc. gratia sacramentali, quae et ipsa ad essentiam sacramenti spectat, postea de *ministro* et *subiecto*.

Thesis 2.

Extremae unctionis 1. materia est unctio olei ab episcopo benedicti; 2. forma sunt verba: „per istam sanctam unctionem etc."

Generatim legitimum esse ritum, quem Romana Ecclesia in extrema unctione administranda servat, sic definivit Concilium Tridentinum (c. 3): „Si quis dixerit, extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Iacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a christianis absque peccato contemni: a. s."

Speciatim de materia dicendum est et de forma. Circa utrumque aliqua certa sunt, aliqua plus minus probabilia.

DEMONSTRATUR: **1.** Extremae unctionis *materia* est unctio olei ab episcopo benedicti.

1. Materia *remota* est oleum ab episcopo benedictum. Colligitur ex ipsis verbis Apostoli. A Concilio Tridentino (cap. 1) sic declara-

---

[1]) Cf. Conc. Trid. Sess. 22 c. 1; Bened. XIV, De syn. dioec. 8, 1 sq. — Ex quo tamen apostolico exemplo factum esse videtur, ut olim christiani in curandis infirmis saepe uterentur unctione olei, non per modum sacramenti, sed per modum effectus gratiae gratis datae.

tur: „Quibus verbis (S. Iacobi), ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, . . . intellexit, materiam esse oleum ab episcopo benedictum."

a. *Oleum* non est nisi ex *olearum* baccis expressum, quod solum est oleum simpliciter dictum.

„*Aptissime* autem haec materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit [1]), ita sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert et lumini tanquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per huius sacramenti administrationem efficiatur, declarant" (Catech. Rom.).

b. *Benedictio* olei teste Concilio Tridentino videtur dicenda iuris divini et de essentia sacramenti. Unde ut temeraria et errori proxima damnata est a Paulo V (a. 1611) haec propositio: „Quod sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit"; id quod Gregorius XVI (a. 1842) comprobavit addens, „neque in casu necessitatis parochum ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti posse oleo a se benedicto". [2]) — Nihilominus ex Constitutionibus Clementis VIII et Benedicti XIV constat, ex Romani Pontificis concessione etiam a simplice *sacerdote* oleum benedici posse. [3]) Dicendum porro, quamvis ab Ecclesia certus praescribatur olei benedicendi modus, omne tamen oleum, quod vere ab episcopo fuerit benedictum, esse sacramenti sufficientem materiam. [4])

2. Materia proxima est *unctio* olei benedicti. Colligitur ex verbis Apostoli. Porro „unctio *aptissime* Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter aegrotantis anima inungitur, repraesentat" (Conc. Trid. l. c.)

---

[1]) Apud Orientales oleum in re medica locum praecipuum tenet. Cf. Is. 1, 6; Ier. 8, 22; Luc. 10, 34.

[2]) Oleum generatim antiquitus solitum fuisse in Ecclesia benedici patet ex Cypr. Ep. 70, Cyrill. Hieros. Catech. mystag. 3; Basil. De Spirit. S. 27; Constit. ap. 8, 29. Usum olei benedicendi in feria 5 maioris hebdomadae noverunt Leo I, Ep. 156 et Sacramentaria Gregorii et Gelasii. Ab Episcopo debere oleum infirmorum benedici testis est Innoc. I, Ep. ad Decent. — De benedictione oleorum historice et liturgice declarata cf. ‚Katholik' 1885, I 593 sq.

[3]) Cf. Bened. XIV, De syn. dioec. 8, 1.

[4]) Oleum in usum extremae unctionis benedictum oleum dicitur *infirmorum*. Alia olea ab episcopo consecrata, ut catechumenorum et chrisma, materia *dubia* sunt, qua in necessitatis casu uti licet.

Quantum ad unctionis *modum:* a. ex *praecepto* Ecclesiae in quinque sensibus unctio facienda est (cf. decret. pro Armen.), verum in feminis omittenda est unctio renum, et in viris quoque omitti solet; *apte* vero sensuum organa ungi inde patet quod „ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet medicina adhiberi“ [1]; b. ad *valorem* sacramenti secundum sententiam communem sufficit unica unctio; unde auctore Benedicto XIV tempore pestis vel alia urgente necessitate una unctio sub conditione adhiberi potest. [2]

2. Extremae unctionis *forma* est oratio: „per istam sanctam unctionem etc.“

1. Forma extremae unctionis certe est *aliqua oratio.* Nam Apostolus dicens: „oratio fidei salvabit infirmum“, orationi maxime tribuit sacramenti huius effectum.

2. Forma *non* est *determinata* in *specie infima*, ut inde patet, quod diversis temporibus et regionibus orationes diversae in Ecclesia usurpabantur.

3. In Ecclesia Latina modo *praescripta* est forma haec: „Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam [3] indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum deliquisti.“ [4]

4. Controvertitur, utrum solum forma *deprecativa* an etiam forma *indicativa* sit valida. Verosimilius dicitur, formam etiam indicativam validam esse, quippe quae in pluribus antiquis ritualibus, v. g. Ambrosiano, legatur [5]; nisi cum S. Thoma solam deprecativam formam uti validam admittente dicatur: „verba illa indicativi modi, quae secundum morem quorundam praemittuntur orationi, non esse formam huius sacramenti, sed dispositionem ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba.“ [6]

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 32 a. 6.

[2]) Cf. Bened. XIV l. c. 7, 18.

[3]) „*Misericordia* respicit miseriam, et quia hoc sacramentum datur in statu miseriae, sc. infirmitatis, ideo potius hic quam in aliis fit mentio de misericordia.“ S. Th. Suppl. q. 29 a. 8.

[4]) Cum necesse non sit singulos sensus ungere, neque necessarium dicendum erit singulos sensus verbis significare, sed verisimile est sufficere ut dicatur: „quidquid per sensus deliquisti“.

[5]) B. Albertus M. de „tota Ecclesia Alemanniae“ haec habet: „Antiquissimi libri in illis terris habent indicativam orationem pro forma, et postea subiungitur oratio. Et haec sunt verba scripta in libris antiquissimis, quos prae antiquitate vix legere valebam: Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine etc.; et postea sequitur: Per istam sanctissimam unctionem et suam piissimam misericordiam etc.“

[6]) S. Th. Suppl. q. 32 a 8 ad 3.

Aptior certe esse videtur forma deprecativa. „Nam cum hoc sacramentum propterea adhibeatur, ut praeter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat aegrotis: tamen, quia non semper sequitur, ut aegri a morbis convalescant, ob eam causam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non solet." (Catech. Rom.)

SCHOLION **1.** Extremae unctionis sacramentum quamvis pluribus constet unctionibus, *unum* tamen est sacramentum. „Unum vero est non partium continuatione, quae dividi non possint, sed perfectione: cuiusmodi sunt cetera omnia, quae ex pluribus constant. Nam quemadmodum domus, quae ex multis et diversis rebus composita est, una tantum forma perficitur: ita hoc sacramentum etsi ex pluribus rebus et verbis constituitur, unum tamem signum est et unius rei, quam significat, efficientiam habet." (Catech. Rom.)

2. *Rituum*, qui proprii sunt huius sacramenti, „maxima pars precationes continet, quibus sacerdos ad aegroti salutem impetrandam utitur. Nullum enim est aliud sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur. Ac recte quidem: quoniam eo potissimum tempore fideles piis obsecrationibus adiuvandi sunt; quare et alii omnes, quos tum adesse contigerit, et praecipue parochi debent orare Deum ex animo et eius misericordiae laborantis vitam et salutem omni studio commendare." (Catech. Rom.)

Thesis 3.

Extrema unctione 1. peccata remittuntur, 2. peccatorum reliquiae absterguntur, 3. animus alleviatur, 4. sanitas corporis interdum restituitur.

Gratiam extrema unctione conferri certum est eo quod probatum est eam esse sacramentum. Nunc de peculiaribus huius gratiae sacramentalis effectibus quaeritur. Eos sic describit Concilium Tridentinum (c. 2): „Res et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti: cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur." Spectant itaque extremae unctionis effectus tum animam tum corpus; prius sc. anima curatur, postea corpus sanatur. — Atque hac in re conveniunt theologi omnes. Dissensus aliquis eorum est,

quando quaeritur, quinam illorum effectuum sit *principalis*. S. Thomas docet principalem effectum esse abstersionem reliquiarum peccati; S. Bonaventura existimat eum esse remissionem venialium, quatenus in extremo vitae hominem impediunt, ne in gloriam ingrediatur; Suarezius denique censet primarium effectum positum esse in confortatione animi contra angores tempore mortis occurrentes.

DEMONSTRATUR: **1.** Extrema unctione *remittuntur peccata*.

Patet hoc ex ipsis verbis B. Iacobi: „si in peccatis sit, remittentur ei"; et ex forma sacramenti. Atque hoc extrema unctio non per solam excitationem devotionis efficit, sed immediate vi ipsius sacramenti. Verum:

1. *Primario* non remittuntur nisi *venialia*. Nam ad remittenda mortalia aliud institutum est sacramentum sc. poenitentia; at duo sacramenta non instituuntur propter eundem effectum.

2. *Secundario* etiam *mortalia* remittuntur; sc. ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, modo non ponatur obex ex parte recipientis. Et sane: Apostolus dicit: „si in peccatis sit". At a. peccati nomine simpliciter dicto peccatum mortale intelligitur, b. quantum ad venialia conditio illa fere superflua foret, c. Concilium Tridentinum „delicta" dicit hoc sacramento deleri.

Ergo *non mere per accidens* hoc sacramento mortalia remittuntur, sicut Eucharistia; nam illud non est per accidens, quod est ex ipsa institutione et vi formae. [1])

2. Absterguntur *peccatorum reliquiae*.

Reliquiae peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati, sed sunt quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, quae in nobis relinquitur ex peccato originali et actuali. Contra hanc debilitatem homo per hoc sacramentum roboratur.

Colligitur a. ex verbo Apostoli: „salvabit infirmum"; b. ex ipsa natura huius sacramenti, quod adhibetur secundum modum cuiusdam medicationis. [2])

---

[1]) Quare iis omnibus fidelibus, qui utpote sensibus destituti per se vel alios absolutionis recipiendae desiderium sacerdoti manifestare non potuerint, extrema unctio remedium multo securius est, quo peccatorum remissionem consequantur, quam absolutio vel viaticum. Dummodo enim interna attritio adfuerit, extrema unctio aegrotum iustificabit. Absolutionem vero id efficere ad summum probabile est, eo quod probabiliter deest omnis accusatio, quae tamen essentialis est, neque plus quam probabile est, Eucharistiam hunc fructum ferre, quia ex sua institutione solummodo vivorum sacramentum est. Addi potest, etiam si attritio defuerit, cum postea excitetur, sacramentum hoc reviviscere.

[2]) Cf. S. Th. Suppl. q. 30 a. 1.

3. *Alleviat* (ἐγείρει) et confortat infirmum.

„Homini natura insitum est, ut nihil in rebus humanis aeque ac mortem pertimescat. Auget autem magnopere hunc timorem praeteritorum scelerum memoria, cum praesertim gravissima conscientiae nostrae accusatio nos urgeat. Ut enim scriptum est: Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Deinde illa cura et cogitatio vehementer angit, quod paulo post stare oporteat ante tribunal Dei, a quo de nobis iustissima pro eo, ac meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Saepe autem evenit, ut fideles hoc terrore perculsi se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abiiciamus et laeto animo Domini adventum expectemus paratique simus, depositum nostrum, quandocunque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac sollicitudine fidelium mentes liberentur, animusque pio et sancto gaudio repleatur, extremae unctionis sacramentum efficit. Praeterea aliud etiam, quod merito omnium maximum videri potest, ex eo consequimur. Nam etsi humani generis hostis, quoad vivimus, numquam desinit de interitu et exitio nostro cogitare: nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac, si fieri possit, spem nobis divinae misericordiae eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum supremum vitae diem appropinquare animadverterit. Quamobrem fidelibus arma et vires hoc sacramento subministrantur, quibus adversarii vim et impetum frangere, et illi fortiter repugnare possint. Allevatur enim et erigitur aegri animus divinae bonitatis spe; eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert levius, ac ipsius daemonis calcaneo insidiantis artificium et calliditatem facilius eludit.“ (Catech. Rom.)

4. Reddit *corporis sanitatem*, ubi animae saluti expedierit.

1. Colligitur ex Concilio Tridentino et verbo Apostoli „salvabit“, quod cum de infirmo specialiter dicatur, de salute corporis per se videtur intelligendum; eo vel magis quod omne sacramentum est medicina spiritualis.

2. Non tamen *primario* operatur sanitatem. Quare *nec semper* eam operatur. „Quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem: ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.“ [1])

SCHOLION. Quamvis maxima sit huius sacramenti suscipiendi utilitas, imo per accidens, si sc. infirmus in gravi peccato constitutus aliud non

[1]) S. Th. Suppl. q. 30 a. 2.

possit suscipere sacramentum, etiam necessitas esse possit: nihilominus per se eius *nulla est rigorosa necessitas*, neque ex rei natura, cum sacramentum hoc non sit medium ad salutem necessarium, neque ex praecepto vel Christi vel Ecclesiae, quia eiusmodi praeceptum nullum invenitur. Attamen manifestum est, nec licere christianis sacramentum hoc sine peccato „contemnere" (Conc. Trid.), et „ingenti se exponere periculo tentationibus succumbendi, qui negligat se munire hoc sacramento a Christo Domino instituto, tamquam firmissimo praesidio in tanto conflictu"[1]).

Thesis 4.

Extremae unctionis minister est sacerdos solus et omnis.

Haeretici unctionem illam, de qua loquitur Apostolus, quamque contra ipsos probavimus esse sacramentum, a solis sacerdotibus administrandam esse negaverunt, ea potissimum innisi ratione, quia Apostolus „presbyteros" inducendos esse iubeat, quo nomine omnes inter christianos aetate provectiores vel graviores intelligendos esse volunt. Verum doctrina catholica est, solis *sacerdotibus* rite ordinatis sacramenti huius administrationem esse commissam. Atque hoc a Concilio Tridentino (c. 4) est *definitum:* „Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem: a. s." — Quibus satis praeterea innuitur, ministrum huius sacramenti *omnem* esse sacerdotem, i. e. non solum episcopum, sed etiam sacerdotem simplicem.[2])

DEMONSTRATUR: Extremae unctionis minister *sacerdos* est *solus* et *omnis.*

1. *An sit* probatur.

Ratio desumenda est ex Christi sacramentorum institutoris voluntate, prout haec ab Apostolo nobis est promulgata et ab Ecclesia declarata. Iam vero Apostolus *presbyteros* huius sacramenti dicit esse ministros. At presbyteri, quamvis vi vocis et usus profani loquendi sint seniores quilibet, in usu loquendi sacro (cf. 1 Tim. 4) et ecclesiastico intelligendi sunt *sacerdotes;* atque ita ipsum illum locum Apostoli intellexerunt Concilium Florentinum et Tridentinum.

---

[1]) S. Alph. Theol. mor. n. 733.

[2]) *Graeci,* urgentes illud τοὺς πρεσβυτέρους Apostoli, usum invexerunt *plures* adhibendi sacerdotes in sacramento extremae unctionis administrando. Cfr. Leo Allatius, De eccl. orient. et occid. consensu 3, 16.

Ceterum cur ab Apostolo aetate provectiores magis idonei haberi possent ad infirmos inungendos? [1])

2. *Cur sit.* Rationes congruentiae pro utroque asserto hae sunt:

1. Cur sit *solus* sacerdos.

Minister sacramenti huius potestatem exercet in corpus Christi mysticum, sanctificandi sc. homines et peccata remittendi. Iam vero haec potestas per se non competit nisi illis qui speciali modo ad eam habendam sunt ordinati. Unde „nullius sacramenti dispensatio laicis ex officio competit“ [2]), quamquam sacramenti baptismi ministri esse possunt propter specialem eius necessitatem, matrimonii propter specialem eius naturam.

2. Cur sit *omnis* sacerdos.

Non expediebat hoc ministerium reservari episcopis, tum quia „episcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt“ [3]), tum quia, si potestas peccata in poenitentiae sacramento remittendi facta est etiam simplicibus sacerdotibus, consentaneum erat, ut etiam extremae unctionis sacramentum, quod illius est veluti consummativum, eis concrederetur, tum quia „illa sacramenta dispensanda solis episcopis reservantur, quae suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt, hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur.“ [4])

SCHOLION. „Neque tamen ex sanctae Ecclesiae decreto cuivis sacerdoti, sed *proprio pastori*, qui iurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille eius muneris fungendi potestatem fecerit, hoc sacramentum administrare licet. [5]) Illud vero maxime animadvertendum est, sacerdotem in ea administratione, quemadmodum etiam in aliis sacramentis fit, Christi Domini nostri et sanctae Ecclesiae, eius sponsae, personam sustinere.“ (Catech. Rom.)

Thesis 5.

Extremae unctionis subiectum est homo baptizatus 1. usum habens rationis, 2. graviter decumbens, 3. in statu gratiae constitutus.

Dicitur homo baptizatus, quia baptismus ianua est reliquorum sacramentorum. De aliis conditionibus paulo fusius est dicendum.

---

[1]) Quodsi etiam laici aegrotos oleo unxisse aliquando inveniuntur, unctio haec non intelligenda esse fuisse sacramentum, sed sacramentale quoddam. Cf. Schanz, Sacram. § 49.

[2]) S. Th. Suppl. q. 31 a. 1.

[3]) Innoc. I Ep. ad Decent. c. 8.

[4]) S. Th. l. c. a. 3.

[5]) Constitutione ‚Apost. Sedis‘ (1869) excommunicatio ordinario modo R. Pontifici reservata latâ est in „religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiam per viaticum ministrare absque parochi licentia“.

DEMONSTRATUR: **1.** Subiectum est homo *usum rationis* habens: „Omnes qui rationis usu carent ad hoc sacramentum suscipiendum apti non sunt: et pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare huius sacramenti remedio opus sit; amentes item et furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, et eo potissimum tempore pii animi significationem darent peterentque ut sacro oleo ungerentur; nam qui ab ipso ortu nunquam mentis et rationis compos fuit, ungendus non est; secus vero si aegrotus, cum mente adhuc integra huius sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam et furorem incidit“ (Catech. Rom.).

1. Colligitur inde quod Concilium Tridentinum hoc sacramentum vocat „consummativum poenitentiae et totius vitae christianae“. Supponitur ergo uti subiectum homo qui et poenitentiam potuerit suscipere et vitam christianam degere.

2. Colligitur inde quod finis huius sacramenti declaratur esse is, ut sit institutum propter luctam et gravissimas tentationes articuli mortis, ad confortandum animum, ad peccatorum reliquias et si adsint ipsa peccata delenda. Quae omnia supponunt saltem fuisse aliquando in illo, qui hoc sacramentum suscipiat, usum rationis.

2. Subiectum est homo *graviter decumbens.*

1. Patet ex verbis Apostoli: „Infirmatur (ἀσθενεῖ) quis in vobis . . . . Oratio fidei salvabit infirmum (κάμνοντα i. e. deficientem ac paene morientem).

2. Patet ex fine sacramenti: „Siquidem ob eam rem est institutum, non modo ut animae, sed etiam ut corpori medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant; idcirco iis etiam, qui adeo periculose aegrotare videntur, ut, ne supremus illis vitae dies instet, metuendum sit, hoc sacramentum praeberi debet“ (Catech. Rom.).

Quaeritur *cuiusmodi* requiratur infirmitas.

a. Exigitur infirmitas *gravis,* i. e. quae ex sua specie vel in hoc individuo constituat hominem iudicio prudentum hominum in periculo vitae. „Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.“ Ita Concilium Florentinum. Aliquantulum mitius, ne in Graecorum usum magis laxum videretur ferri censura, Concilium Tridentinum statuit (Sess. 14 de extr. unct. cap. 3): „hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu mortis constituti videantur; unde et sacramentum exeuntium nuncupatur“. „Quia vero hic status non potest habere tantam certitudinem multumque ex arbitrio pendet, ideo non videtur haec conditio ita substantialis, ut, si forte aliquan-

tulum praemature ungatur infirmus, sacramentum propterea sit nullum existimandum.“ [1])

b. Exigitur periculum mortis quod sit ex *corporis infirmitate.* Nam si aliud est periculum, non ideo sunt infirmi. „Nemini igitur, qui gravi morbo affectus non sit, sacramentum unctionis dare licet, tametsi vitae periculum adeat: vel quia periculosam navigationem paret; vel quia praelium initurus sit, a quo certa mors illi impendeat; vel etiam si capitis damnatus ad supplicium raperetur.“ (Catech. Rom.) Nec operationem chirurgicam periculosam subituris hoc sacramentum dare licet.

3. Ad effectum huius sacramenti consequendum per se necessarius est *status gratiae.*

Est enim extrema unctio sacramentum vivorum, vitam spiritualem supponens. Verum cum ex intentione secundaria sacramentum hoc institutum sit etiam ad peccata mortalia delenda, ita ut si fortasse accidat, peccatum aliquod non esse dimissum, vi huius sacramenti deleatur: fieri potest, ut quin prius adfuerit status gratiae, effectus sacramenti obtineatur. Exigitur tunc quidem attritio. Nam a Concilio Tridentino definitum est de contritione generice sumpta (Sess. 14 cap. 4): „Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.“ [2]) At non eodem modo quo in sacramento poenitentiae attritio requiritur. In poenitentia enim attritio est de essentia ipsius sacramenti, in extrema unctione solum ut dispositio exigitur in eo qui conscientiam habet peccati mortalis. Unde porro consequitur, cum poenitentiae sacramentum absque attritione prorsus sit nullum, extremam unctionem cum debita forma et materia collatam verum esse sacramentum, etiamsi ob attritionis absentiam effectum nullum habeat. Patet itaque extremam unctionem sacramentum esse *validum et informe.*

---

[1]) Suarez, Disp. 42 sect. 2. — In praxi sedulo servanda sunt quae habet Catechismus Romanus: „Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum, iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat; constat enim, ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget fidemque et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. Quare parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore caelestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem cum eorum etiam pietate et religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint.“ (Catech. Rom.)

[2]) Errat igitur *Schell* (Dogm. 3, 632 sq.) statuens, etiam citra attritionem extrema unctione peccata deleri, dummodo a peccato cessetur. Cf. Sasse, De sacr. 2 p. 268 nota editoris (Lehmkuhl); Lehmkuhl in ‚Pastor bonus‘ 1898, 10 sq.

Verosimile hinc porro est satis, recedente obice postea *revi-viscere* atque plenum obtinere effectum. Quamobrem et cum aliunde iteratio huius sacramenti in eodem morbo vetetur, neque in casu quod quis sacrilege illud deprehendatur suscepisse, eum iterum ungere licebit. Tollitur vero obex, si in susceptione sacramenti per solam ignorantiam vel inadvertentiam defuerit attritio, per subsequentem attritionis actum; si vero in susceptione novum fuerit commissum peccatum mortale, cum hoc nequeat deleri virtute unctionis quae praecessit, contritio vel confessio necessaria erit.

COROLLARIUM 1. *Iterari* potest unctio extrema, quia „non est ad consecrandum sicut unctio confirmationis, ablutio baptismi . . . Ordinatur autem eius sacramenti inunctio ad sanandum; medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.“ [1]) Verum non potest iterari in eadem infirmitate, „nisi diuturna est et, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit“ (Rit. Rom.).

2. De *dispositionibus* fructuosae susceptionis huius sacramenti haec docet Catechismus Romanus: „Quoniam omni studio curare oportet, ne quid sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis adversatur, quam alicuius peccati mortiferi conscientia: servanda est catholicae Ecclesiae perpetua consuetudo, ut ante extremam unctionem poenitentiae et Eucharistiae sacramentum administretur. [2]) Ac deinde aegroto persuadere parochi studeant, ut ea fide se ungendum sacerdoti praebeat, qua olim, qui ab Apostolis sanandi erant, seipsos offerre consueverant. In primis autem animae salus, deinde corporis valetudo cum illa adiunctione, si ea ad aeternam gloriam profutura sit, expetenda est. Nec vero dubitare fideles debent, quin sanctae illae et solemnes preces a Deo audiantur, quibus sacerdos non suam, sed Ecclesiae et Domini nostri Iesu Christi personam gerens utitur.“

SCHOLION. Quaeritur, utrum sit de necessitate huius sacramenti, ut suscipiens aliquando *actualiter peccaverit.* Verosimile est hanc conditionem non requiri. Nam neque ex verbis Iacobi, neque ex aliquo Concilio, nec ex forma vel materia huius sacramenti, neque ex fine eius colligi potest necessitas huius conditionis; et alioquin effectus primarius huius sacramenti optime locum habet in eo qui nunquam actualiter peccavit, si hic effectus admittatur esse animi confortatio. Unde et probabilius dicunt esse, ipsam etiam Beatissimam Virginem hoc sacramentum recepisse, tum propter exemplum tum propter fructum, non quidem ad confortandum eius animum, sed ad gratiam augendam moribundae. [3])

---

[1]) S. Th. C. gent. 4, 73.

[2]) Extremae unctionis sacramentum utpote poenitentiae complementum antiquitus statim post hoc sacramentum atque ante Eucharistiam conferri solebat. At non desunt testimonia, quibus apparet, nonnunquam Eucharistiae susceptionem praecessisse; quae consuetudo paulatim magis invaluit. Cf. Binterim, Denkwürdigkeiten, 6. B. 3. T. p. 308 sq.

[3]) Cf. Suarez, Disp. 42 sect. 2.

DE ORDINE.

„Si quis aliorum sacramentorum naturam et rationem diligenter considerarit, facile perspiciet, ea omnia ab ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant, partim solemni ceremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur."

Catech. Rom.

Ordo plura significat: 1. est *dispositio* rerum secundum aliquam ipsis convenientem rationem, seu, ut ait Augustinus, „parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio" [1]; 2. hinc est *status* hominum quilibet, in quo aliqua istiusmodi habitudo apparet, uti e. g. ordo senatorius, religiosus, clericalis seu hierarchicus, de quo nobis hic est sermo; 3. appellatione ab effectu ad causam translata est *actus* ille vel ritus, quo quis in clericorum statum recipitur, qui ritus clarius ordinatio vocatur quique a Magistro definitur: „signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato" [2]).

De ordine igitur tractantes et de statu oportet dicamus clericorum et de ritu quo quis clericus constituitur. Cum vero ritus hic praecipuus, uti videbimus, unum ex sacramentis sit N. T., primum de ordine dicemus in se spectato, deinde de ordinis sacramento.

---

[1]) Augustin. De civ. Dei 19, 13.

[2]) Lomb. Sent. 4 dist. 24 a. 1 q. 2.

Caput I.

De ordine in se spectato.

Dicendum est de ordinis et existentia et distinctione.

Articulus I.

De ordinis existentia.

Duplex est quaestio: 1. esse generatim aliquem ordinem in Christi Ecclesia, 2. esse ordinem determinatum a Christo institutum. — Prius illud, sc. in Ecclesia Christi esse ordinem, manifestum est. Nam: 1. „Quae a Deo sunt, ordinata sunt; sed Ecclesia a Deo est, quia ipse eam aedificavit sanguine suo: ergo ordo in Ecclesia esse debet.“ 2. „Status Ecclesiae est medius inter statum naturae et gloriae; sed in natura invenitur ordo, quo quaedam aliis superiora sunt, et similiter in gloria, ut patet in angelis: ergo in Ecclesia debet esse ordo.“ [1])

„Necessarius est ordo in Ecclesia duplici ratione, sc. propter pulchritudinem et propter rectitudinem. 1. Cum enim sit magna multitudo in Ecclesia, nisi esset ordo, manifesta appareret confusio: et haec est multitudinis foedatio. Unde omnis sapiens, qui eo ipso, quod sapiens est, pulchritudinis est amator, non producit multa sine ordine: et inter haec maxime apparet sapientia Dei, quae inter omnia opera sua manifestatur in constitutione Ecclesiae. Necessarius est etiam ordo 2. propter rectitudinem. Nam multitudo cum in statu est, in quo deviare potest, errat, si non habet ducem nec rectorem sicut dicitur: «Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, sicut oves non habentes pastorem» (3 Reg. 22, 17). Quoniam ergo multitudo Ecclesiae est in statu in quo potest deviare, indiget capite et regimine; et cum unus non possit omnibus sufficere nec ad omnia, ideo oportet secundum plus et minus ecclesiastica officia et potestates distribuere, ut Ecclesia regatur et dirigatur sine errore.“ [2])

Iam vero illud alterum accuratius erit probandum, sc. in Ecclesia Christi ab ipso Christo determinatum institutum esse ordinem.

Thesis 1.

Potestas hierarchica a Christo collata est non omnibus, sed certis aliquibus personis.

Protestantes omnes christianos pari potestate spirituali praeditos omnesque promiscue sacerdotes esse voluerunt; nihilque N. L. sacer-

---

[1]) S. Th. 4 dist. 23 q. 1.

[2]) S. Bonav. 4 dist. 24 p. 1 a. 2 q. 1.

dotium aliud statuerunt esse quam nudum ministerium evangelium praedicandi. [1]) Contra quos *Concilium Tridentinum* haec definivit (Sess. 7 c. 10): „Si quis dixerit, christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: a. s." Et porro (Sess. 23 c. 1): „Si quis dixerit, non esse in N. T. sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium, vel eos qui non praedicant prorsus non esse sacerdotes: a. s."

Gallicani [2]), *Febronius* [3]), *Neoprotestantes* [4]) statuerunt, omnem potestatem clavium immediate et principalius datam esse fidelium universitati, quae eam per ministros suos, inter quos Romanus Pontifex, exerceat. Damnata est haec doctrina a Pio VI in Constitutione civili Cleri Gallorum, quae illa innitebatur, et in propositionibus Pistoriensium, quarum 2 statuit „potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum". Funditus eversa est doctrina haec Constitutione *Concilii Vaticani* de Ecclesia Christi, qua definitum est Romano Pontifici ab ipso Christo immediate collatum esse verae iurisdictionis primatum. Propositus praeterea fuit definiendus hicce canon: „Si quis dixerit, Ecclesiam institutam divinitus esse tamquam societatem aequalium; ab episcopis vero haberi quidem officium et ministerium, non autem propriam regiminis potestatem, quae ipsis divina ordinatione competat quaeque ab iisdem sit libere exercenda: a. s."

Quamvis igitur, cum omnis potestas socialis in bonum sit eorum qui gubernantur, finis sacrae a Christo institutae potestatis communis sit omnium christifidelium utilitas [5]): *subiectum* eius secundum doctrinam catholicam ex ipsa Christi voluntate non est totus fidelium coetus, sed certae e reliquo coetu segregatae personae, quibus ipse Christus immediate contulit potestatem hierarchicam, et a qui-

---

[1]) *Lutherus* (De capt. Babyl.) statuit: „omnes christianos aequaliter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo et sacramento quocunque habere potestatem; verum non licere quemquam hac ipsa uti nisi consensu communitatis aut vocatione maioris; quod enim omnium est communiter, nullus singulariter potest sibi arrogare donec vocetur".

[2]) Marsil. Patav. Defens. pacis; Gerson, De potest. Eccl. consid. 4.

[3]) Febronius, De statu Eccl. c. 1 § 6.

[4]) Langen, Das vatic. Dogma etc.

[5]) Gallicani cum teste Richerio hoc axioma doctrinae suae velut „infallibile firmamentum" habent, potestatis finem et subiectum inepte confundunt.

bus deinde voluit eam in alios derivari, qui legitima auctoritate assumerentur. Est ergo *iuris divini* discrimen inter *clericos*, quo nomine intelliguntur Ecclesiae ministri, quibus rerum sacrarum cura incumbit, et reliquos, qui *laici* dicuntur.[1])

DEMONSTRATUR: Christus potestatem sacram non omni fidelium coetui, sed *aliquibus* immediate contulit.

1. Ex *tabulis testatoris* probatur.

a. In Evangelio legitur Christus ipse „vocavisse“ discipulos et „elegisse“ duodecim ex ipsis, „quos et Apostolos nominavit“ (Luc. 6, 13); praeterea „designasse“ alios septuaginta duos discipulos, quos Apostolis adiunxit socios (Luc. 10, 1); illos denique „misisse“ eadem auctoritate instructos, qua ipse a Patre missus erat, eosque uti auctores societatis a se instituendae atque adeo uti a ceteris distinctos muneribus praerogativisque donasse (Matth. 28, 18 sq.; Ioan. 20, 21 sq.).

b. In Actibus Apostolorum audimus Apostolos munere functos esse magistrorum et „mysteriorum dispensatorum“ eosque ut tales a fidelibus fuisse agnitos (Act. 2, 37); sibi porro alios adiutores et successores adscivisse (Act. 6, 2); apostolatum denique, quamvis immediate a Deo proficiscatur (Gal. 1, 1), tamen expostulare ritus quosdam, quibus qui apostolus est vocatus reliquorum sacerdotum coetui aggregetur (Act. 9, 17; 14, 21 sq.).

Obiicitur ex Scriptura: Sunt aliqua Christi et Apostolorum dicta, quae discrimini inter clericos et laicos obstare videntur. Videlicet: „Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministare“ (Matth. 20, 25 sq.). „Non quasi imperans dico“ (2 Cor. 8, 8). Iam vero haec non ipsam Apostolorum excludunt potestatem, sed vel negant certum quendam modum

---

[1]) Κληρικός in oppositione ad λαικόν (vel ἰδιώτην, 1 Cor. 14, 16) usu loquendi antiquissimo iam apud Clementem Romanum vigente eum significat, qui aliquo modo ministeriis sacris est mancipatus. Sensum vocis ita interpretatur S. Hieronymus (Epist. 52 ad Nepotian.): „Clericus interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος graece, sors latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini vel quia Dominus sors i. e. pars clericorum est.“ — Munus clericorum dicitur: διακονία, ἱερουργία, ἱεραρχία. „Ἱεραρχία est principatus ac velut cura ordinandorum sacrorum.“ (Maximus in cap. 3. Dionys. De coel. hier.) In Ecclesia cum varii sint principatus curationesque sacrorum, tum universus hic status tum singuli gradus ordo sacer vel hierarchia vocatur.

potestatis huius exercendae, sc. fastum ac despotismum, vel Apostolorum probant prudentiam atque humanitatem.

Quodsi porro Act. 15, 23 decreti Concilii inscriptio habeat: „οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί": inde non licet concludere decreta illa lata esse nomine Apostolorum, presbyterorum et laicorum. Nam ex auctoritate Vulgatae et praestantissimorum codicum graecorum et ex loco parallelo 16, 4 omittendum est illud alterum καί οἱ, quemadmodum omnes fere critici hodie omittunt; vel dicendum est universam ecclesiam Hierosolymis consistentem salutem mittere fratribus ex gentibus et decreta edita esse conspirantibus omnibus, quin tamen omnium in iis edendis eadem inde colligi possit auctoritas.

Quod denique omnes christiani dicuntur „regale sacerdotium" (1 Petr. 2, 9), et „regnum et sacerdotes" (Apoc. 1, 6), haec verba nequeunt intelligi de sacerdotio proprie dicto: quia a. etiam populus Israëliticus dicitur (Exod. 19, 6) „regnum sacerdotale", quin inde negetur sacerdotium Aaronicum; b. secus etiam „regnum" sensu proprio intelligi deberet; c. christiani a S. Petro diserte dicuntur offerre „spirituales hostias" (v. 5).

2. Ex consensu *universae antiquitatis* probatur, iure divino potestatem hierarchicam non penes omnes, sed penes aliquos fuisse.

a. *Testimonia* antiquissima id ostendunt. *Doctrina Apostolorum* postquam ministerium liturgicum exposuit, immediate prosequitur: „Constituite ergo (χειροτονήσατε οὖν) vobis episcopos et diaconos Deo dignos . . . nam etiam ipsi vobis exhibent ministerium (λειτουργοῦσι λειτουργίαν) prophetarum et doctorum." [1]) *Hermae* Pastor una cum Apo-

---

[1]) Doctr. Apost. 15. — Episcopi et diaconi singulis itaque ecclesiis praeficiendi sunt. Munus autem eorum praecipuum, uti ex particula οὖν hoc caput cum praecedente intime iungente necnon ex textu Clementis Romani supra citato consequitur, erat, ut curam haberent liturgiae administrandae, ad quam utique etiam evangelii praedicatio spectabat. Errat igitur *Harnack* (Didache p. 56 sq. et 140 sq.) dicens, Doctrina teste episcopos et diaconos primo non fuisse nisi ecclesiarum oeconomos ad res pecuniarias administrandas, deinde etiam verbi divini praedicationem iis concreditam fuisse.

Quemadmodum porro Hebr. 13, 7 οἱ ἡγούμενοι feruntur loqui τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, sic etiam hoc in loco Doctrinae episcopi et diaconi dicuntur ministrare τὴν λειτουργίαν τῶν προφητῶν καὶ διδασκάλων. Hinc sane patet ministrorum hierarchicorum munus aliquod praecipuum fuisse evangelii praedicationem. Minime vero sequitur, quod idem Harnack, ut ipse fatetur, testimonia illa ex sensu protestantico interpretatus concludit (Didache § 5), in Ecclesia primitiva aliud tandem non fuisse ministerium, quam quod „verbi" dicitur.

Quid igitur nomine „prophetarum" et „doctorum" intelligendum est? Occurrunt videlicet tum in Scriptura tum in aliis vetustatis christianae monumentis „apostoli", „prophetae", „doctores" („evangelistae" apud Euseb. 3, 37). Videntur hi fuisse christiani, qui charismate peculiari instructi, ministerium

stolis connumerat eos, qui „episcopatum gesserunt et docuerunt et ministraverunt caste et sancte electis Dei“ [1]). *Clemens Romanus* hierarchiam N. T. comparat cum hierarchia V. T. eamque divinitus institutam esse diserte docet: „Summa sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est et levitis propria ministeria incumbunt, homo laicus laicis praeceptis constringitur. Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine gratias agat Deo in bona conscientia, non transgrediens statutum sui ministerii canonem . . . Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo, factum est ergo utrumque ordinatim ex voluntate Dei . . . Per regiones igitur et urbes praedicantes primitias earum cum spiritu probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant.“ [2]) *Ignatius Martyr* obedientiam erga hierarchiam divinitus institutam in omnibus epistolis suis summopere commendat: „Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis episcopo praesidente loco Dei et presbyteris collegii apostolici et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi.“ [3]) „Iesus Christus Patris sententia (γνώμη), ut et episcopi secundum terrae fines determinati Iesu Christi sententia sunt (ἐν I. X. γνώμη εἰσίν). Unde decet vos concurrere episcopi sententiae, quod et facitis. Digne nominabile enim vestrum presbyterium, Deo dignum, sic concordatum est episcopo ut chordae citharae. Propter hoc in consensu vestro et consona caritate Iesus Christus cernitur.“ [4]) Alibi de episcopis, presbyteris et diaconis haec habet: „Sine his Ecclesia

---

evangelii in diversis regionibus praedicandi assumpserunt. (Cf. Funk, Doctrina, in cap. 11; Minasi, La Dottrina dei dodici Apostoli, comment. 23 sq.; Iacquier, La doctrine des douze Apôtres, 3 partie, ch. 6). Quidquid est, ex universa hac thesi nostra sequitur admitti non posse, quod statuit Harnack (Dogmengeschichte 1, 183 sq.), illa munera in primitiva Ecclesia ita fuisse certa ac communia, ut regimen Ecclesiae „apostolico-episcopale“ solum post „κρίσιν gnosticam“ evaserit commune. Ipse vero Harnack veluti invitus fatetur: „Hier ergab sich dann die Vorstellung ganz natürlich, dass die Apostel selbst die ersten Gemeindebeamten eingesetzt hätten; dieselbe mag eine Unterlage an einigen wirklichen Fällen der Art besessen haben, aber das kommt hier nicht in Betracht.“ (!) Imo vero facta ac testimonia, quibus illud „apostolico-episcopale“ regimen significatur, nec tam pauca sunt, uti auctor hic opinari videtur, et ut de primitivae Ecclesiae constitutione iudicium feratur, omnino prae oculis haberi debent.

[1]) Hermae Pastor, Vis. 3, 5.

[2]) Clem. Rom. 1 Cor. 40 sq.

[3]) Ign. Magn. 6.

[4]) Ign. Eph. 3, 4.

non vocatur.“ [1]) Alibi: „Non fas est sine episcopo baptizare neque agapen celebrare.“ [2])

b. *Praxis* Ecclesiae idem testatur. Nunquam episcopi habiti sunt ut deputati fidelium eorum nomine Ecclesiam regentes, sed ut Christi ministri eique rationem reddituri. „Neque etiam aequum est, o episcope, ut tu, qui caput es, assentiaris caudae, i. e. laico, sed Deo soli; nam oportet te subiectos regere, non ab iis regi, cum nec filius imperet patri secundum rationem.“ [3])

Nunquam universis fidelibus agnita est potestas vel praesides instituendi (sed solum ferendi testimonium vel etiam postulandi) vel in generalia concilia conveniendi. „Si quis episcopus saecularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsam obtinuerit, deponatur, et segregentur omnes qui illi communicant.“ [4])

SCHOLION. Duplex distinguitur *potestas* a Christo instituta: potestas ordinis et potestas iurisdictionis. Cum enim Ecclesiae finis, qui est Dei cultus et animarum sanctificatio, et per gratiam sanctificantem atque adeo per *sacramenta* sit obtinendus et per propriam hominis *cooperationem*, Christus Ecclesiae suae et ad sacramenta efficienda et ad fideles efficaciter dirigendos contulit potestatem: prior ordinis, altera iurisdictionis est potestas. Potestas itaque *ordinis* est facultas quaedam supernaturalis ad Dei cultum ordinata vel per oblationem sacrificii vel per dispensationem sacramentorum vel per quascunque alias sacras ceremonias, eaque ad modum causae physicae agens Potestas *iurisdictionis* est potestas superioris in subditos. Haec est vel fori *interni* seu poenitentiae vel fori *externi* seu ecclesiastiaci, i. e. gubernandae Ecclesiae, quatenus est quaedam respublica spiritualis. Spectato effectu potestas iurisdictionis est potestas *legifera*, *iudiciaria*, *coërcitiva*. — Sed de his fusius dicitur in tractatu de Ecclesia et in iure canonico.

Articulus II.

De ordinum distinctione.

Plura sunt in Ecclesia munera pluresque ritus, quibus ordinis nomen competit. Ex his alia a Christo ipso, alia ab Ecclesia sunt instituta.

---

[1]) Ign. Trall. 2.
[2]) Ign. Smyrn. 8.
[3]) Constit. Apost. 2, 4.
[4]) Can. Apost. 31.

Thesis 2.

Divinitus institutum est tum sacerdotium, quod est duplicis ordinis, sc. episcopatus et presbyteratus, tum diaconatus.

Thesis tres partes habet. Agitur enim de divina institutione sacerdotii, de distinctione sacerdotii in episcopatum et presbyteratum, de diaconatu.

DEMONSTRATUR: 1. *Sacerdotium* divinitus institutum est.

Sacerdotium a Christo esse institutum negaverunt haeresiarchae saeculi 16. Quos damnavit Concilium Tridentinum canonibus iam citatis, simulque nexum statuit, qui praecipuus est inter hunc ordinem et eucharistiam.

Sacerdotes omnes, ideoque et episcopos et presbyteros, *divinitus* esse institutos ex ipsis ss. Litteris est manifestum et universa Traditione comprobatur. „Hoc facite in meam commemorationem" (Luc. 22, 19). „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis" (Io. 20, 23). „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei" (Act. 20, 28).

Nexum, qui inter sacerdotium est et Eucharistiam, maxime *sacrificium eucharisticum*, sic exponit Concilium Tridentinum (Sess. 24 cap. 1): „Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacrae Litterae ostendunt et catholicae Ecclesiae Traditio semper docuit."

2. Duplex est genus sacerdotii a Deo institutum: *episcopatus* et *presbyteratus*.

Saeculo 4 Aërius, medio aevo Waldenses, Marsilius Patavinus, Wicleffus contenderunt, aequalem esse dignitatem sacerdotum omnium atque adeo etiam episcoporum et presbyterorum. Contra quos Concilium Tridentinum Sess. 23, postquam statuit episcopatum esse gradum hierarchicum a reliquis gradibus divina ordinatione distinctum (can. 6) definivit: „Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem . . . a. s." Qua tamen in quaestione Patres Tridentini, ne praeiudicarent con-

troversiae, utrum episcopi iurisdictionem immediate haberent a Deo, an a Romano Pontifice, noluerunt expresse definire, illam quam prae presbyteris habent superioritatem iuris divini esse.[1])

Itaque *duplex* est sacerdotii genus: alterum primi ordinis, quod episcopatus dicitur, alterum secundi ordinis, quod dicitur presbyteratus. *Episcopus*[2]), i. e. inspector cum iurisdictione, ille est, qui praeest ecclesiamque regit, qui manus imponit, presbyteros iudicat, fidei depositum custodit. *Presbyter*[3]), quamvis subinde etiam idem sit qui est episcopus, usu tamen loquendi communi ille est qui gradum obtinet minorem ac subest episcopo.

1. In *Scriptura* dicuntur episcopi a Spiritu S. positi regere ecclesiam Dei (Act. 20, 28), ipsi constituere per civitates presbyteros (Tit. 1, 5), imponere manus et sacerdotes ordinare (1 Tim. 5, 22), adversus presbyterum accusationem recipere (ibid. 19).

2. A *Patribus* significatur *discrimen* inter episcopos et presbyteros a Christo institutum esse. „Missus est Christus a Deo et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis . . . egressi sunt annuntiantes regnum Dei. Praedicantes igitur per regiones ac urbes, primitias eorum spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos qui credituri erant, constituerunt.“[4]) At vero, si, ut Traditione constat, episcopus a presbytero est distinctus, et si ex Christi voluntate constitutus est episcopus: ab ipso Christo constitutus est episcopus a presbytero distinctus; ideoque iure divino talis est.

A Patribus celebratas episcoporum *praerogativas* insignes paucis ita complectitur S. Ignatius: „Iesus Christus inseparabilis nostra vita sententia Patris est, ut et episcopi per fines terrae constituti (in) sententia Iesu Christi sunt. Unde decet vos in sententiam episcopi concurrere, quod et facitis. Nam memorabile presbyterium vestrum, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo ut chordae citharae.

[1]) Cf. de tota hac quaestione *v. Dunin-Borkowski*, Die neueren Forschungen ü. d. Anfänge des Episkopats.

[2]) *Episcopus* secundum Augustinum nomen est operis, non honoris. Vox ipsa iam apud LXX occurrit (Iud. 9, 28; Nehem. 11, 9; 14, 22; 4 Reg. 11, 15; 1 Mach. 1, 51). Dicitur etiam ἀρχιερεύς et προστάτης (cf. 1 Petr. 2, 25).

[3]) „Πρεσβύτερος, i. e. senior, est nomen, quod tribuitur ministris Ecclesiae, sive quia olim Ecclesiae plerumque deligebantur qui iam essent grandioris aetatis, sive potius quia ministri Ecclesiae moribus senes referre debent iisque is tribuendus est honor qui senibus tribui solet; ita igitur nomen est non aetatis, sed officii et dignitatis“ (Suicerus, Thes.). Nomen porro „presbyteri“ quamvis et per se et probabiliter etiam in usu loquendi primitivo omnem sacerdotem significet, paulatim tamen sacerdotum secundi ordinis proprium factum est.

[4]) Clem. Rom. 1 Cor. 42.

Propter hoc in consensu vestro et consona caritate Iesus Christus canitur . . . Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat, ut ipsum Dominum.“ [1]) „Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant; rata Eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo, cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica Ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare, sed quodcunque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne, quod peragitur.“ [2])

Episcoporum praerogativam *praecipuam*, in eo sitam, ut soli ordinare seu „*Ecclesiae patres gignere*“ possint, sic extollit contra Aërium Epiphanius: „Totum illud (Aërii dogma, secundum quod episcopi et presbyteri μία τάξις sunt) stoliditatis plenissimum prudens quisque facile perspiciet, velut cum episcopum ac presbyterum adaequare conatur. Hoc enim constare qui potest? Siquidem episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet: huius est enim patrum in Ecclesia propagatio. Alter, cum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat? Aut quomodo presbyter episcopo dici potest aequalis? Verum Aërium istum nimia quaedam procacitas aemulatioque decepit.“ [3])

Quodsi *Hieronymus* episcopum et presbyterum quodammodo pares facere videtur [4]), dicendus est spectare usum ecclesiasticae gubernationis vel ordinarium vel extraordinarium. Essentiale inter utrumque discrimen ipse quoque diserte agnoscit dicens: „Quid facit *excepta ordinatione* episcopus, quod presbyter non faciat?“ [5]) Clarius idem Hieronymus: „Nihil interest inter episcopum et presbyterum, eadem dignitas mittentis et missi? Hoc satis imperite; in portu, ut dicitur, naufragium.“ [6])

3. *Diaconatus* divinitus institutus est.

Diaconus (διάκονος) vi vocis et usu quoque loquendi laxiore est *minister* verbi novique Testamenti (Eph. 3, 7; 2 Cor. 3, 6), sensu

---

[1]) Ign. Eph. 3 sq.

[2]) Ign. Smyrn. 8.

[3]) Epiph. Haer. 75.

[4]) Hieronym. In Tit. 1, 7; Epist. 69 et 146.

[5]) Hieronym. Epist. 146.

[6]) Hieronym. C. Ioan. Hierosolym. 37. — De doctrina Hieronymi, Theodori Mopsvesteni, Ambrosiastri circa originem episcopatus eiusque a presbyteratu discrimen haud satis clara et accurata cf. v. Dunin-Borkowski in ‚Histor. Iahrbuch‘ 1900, 221 sq.

strictiore ille est minister, qui in speciali ordine est constitutus ab ordine episcopatus et presbyteratus distincto.[1])

Iam vero diaconorum institutio, quamvis Act. 6, 1 sq. narretur facta occasione murmuris Graecorum, est tamen iuris divini.

1. Ex *Concilio Tridentino.* Canon enim 6 sic habet: „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: a. s.“ Iam vero ex hoc canone patet, ministros ad divinam hierarchiam spectare; at absque controversia diaconi inter ministros primum locum occupant.

2. Ex *Patribus.* „Hic quoque in Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum, ut arbitror, sunt imitationes angelicae gloriae et illius oeconomiae.“ [2]) „Hortor, ut in concordia omnia peragere studeatis episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi.“ [3]) „Oportet et diaconos, ministros existentes mysteriorum Iesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere; non enim ciborum et potuum sunt ministri, sed Ecclesiae Dei ministri.“ [4]) „Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti, quid ministros plurimos? Quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium aliqui episcopi illis temporibus instrumenta divinae legis impie tradiderunt.“ [5])

COROLLARIUM. Praeter tres ordines hierarchicos a Christo institutos sc. *episcopatum, presbyteratum, diaconatum,* alii sunt ordines sc. *subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus,* quibus veluti praeambulum quoddam praecedit *tonsura.* De his haec habet Concilium Tridentinum: „Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacer-

---

[1]) Fuerunt primis Ecclesiae temporibus (usque ad saec. 12) etiam *diaconissae,* quae ab Apostolis fortasse iam sunt institutae (Rom. 16, 1; 1 Tim. 5, 9). Erant mulieres honestae, quarum munus fuit, ut in mulierum baptismo intervenirent, catechumenas instruerent, viduarum curam agerent etc. Videntur et ipsae constitutae fuisse per quandam χειροθεσίαν, quatenus hoc nomine significatur benedictio (Conc. Chalc. c. 15), non vero ordinatio (Conc. Nic. can. 19). — In ‚Testamento D. N. I. Chr.‘ post triplicem gradum hierarchicum episcoporum, presbyterorum, diaconorum ponuntur et distinguuntur *viduae, diaconissae, presbyterae, virgines* seu coelibes; de quibus cf. Rahmani, Testam. Diss. 2.

[2]) Clem. Alex. Strom. 6, 13.

[3]) Ign. Magn. 6.

[4]) Ign. Trall. 2.

[5]) Optat. Milev. De schism. Donati 1, 13.

dotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui iam clericali *tonsura* insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de *diaconis* sacrae Litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, *subdiaconi* scilicet, *acolythi*, *exorcistae*, *lectoris* et *ostiarii*, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu; nam subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus“ (Sess. 23 cap. 2). „Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et maiores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur: a. s.“ (Can. 2).

Ordines *maiores* sunt imprimis episcopatus, presbyteratus, diaconatus, quibus ab Innocentio III provocante ad Urbanum II etiam subdiaconatus adnumeratur; reliqui *minores* vocantur. Quodsi a Concilio Tridentino omnes ordines „ab ipso initio Ecclesiae“ inveniri dicuntur, id non significat eos omnes vel a Christo vel ab Apostolis fuisse institutos, sed certum est, ordines inde a diaconatu paulatim, quamvis antiquitus, ab Ecclesia fuisse adiectos seu quasi ex diaconatu, ut ex fonte suo derivatos. Omnes septem ordines recenset primus Cornelius P. (c. a. 252)[1], et una cum ritu ordinationis enumerat Concilium quod dicitur Carthaginiense IV (a. 398). Graeci posteriores tres ordines minores, sc. acolythatum, exorcistatum, ostiariatum cum lectoratu contraxisse videntur.[2]

Congruentiam omnium ordinum simulque singulorum *officia* sic declarat S. Thomas: „Distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad *Eucharistiam*, quia potestas ordinis aut est ad *consecrationem* ipsius Eucharistiae aut ad aliquod *ministerium* ordinatum ad hoc sacramentum Eucharistiae. Si *primo modo*, sic est Ordo sacerdotum: et ideo cum ordinantur accipiunt calicem cum vino et patenam cum pane accipientes potestatem conficiendi corpus et sanguinem Christi. *Cooperatio* autem ministrorum est vel in ordine ad *ipsum sacramentum*, vel in ordine ad *suscipientes*. Si *primo modo*, sic est tripliciter. Primo enim est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad *dispensationem*, sed non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit; et hoc pertinet ad diaconum: unde in littera (4 dist. 24) dicitur, quod ad diaconum pertinet ministrare sacerdotibus in omnibus, quae aguntur in sacramentis Christi, unde et ipse Christi sanguinem dispensat. Secundo est ministerium ordinatum ad *materiam* sacramenti *ordinandam* in sacris vasis ipsius sacramenti; et hoc pertinet ad subdiaconos: unde dicitur in littera (ibid.), quod vasa corporis et sanguinis Domini portant et oblationem in altari ponunt; et ideo accipiunt calicem de manu episcopi, sed vacuum, cum ordinantur. Tertio est ministerium ordinatum ad *praesentandum materiam* sacramenti: et hoc competit acolytho; ipse enim,

---

1) Euseb. Hist. eccl. 6, 43.

2) De quaestione hac historica cf. *Wieland*, Die genetische Entwicklung der sog. Ordines minores.

ut in littera (ibid.) dicitur, urceolum cum vino et aqua praeparat, unde accipit urceolum vacuum. Sed ministerium ad praeparationem *recipientium* ordinatum non potest esse nisi super immundos, quia qui mundi sunt, iam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum. Quidam enim sunt omninò *infideles* credere nolentes; et hi totaliter etiam a visione divinorum et a coetu fidelium arcendi sunt; et hoc pertinet ad ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet *catechumeni;* et ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum, et ideo prima rudimenta doctrinae fidei, scilicet vetus Testamentum eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex daemonis potestate, scilicet *energumeni;* et ad hoc ministerium est ordo exorcistarum. Et sic patet ratio et numeri et gradus ordinum."[1])

Hinc patet, cur sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus ordines *sacri* vocentur. „Ordo sacer dicitur dupliciter. Uno modo secundum se; et sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiae, circa quam habet aliquem actum; et sic ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam *consecratam.* Et sic sunt tres tantum ordines sacri, scilicet sacerdotium et diaconatus, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata; et ideo eis etiam continentia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant."[2])

SCHOLION **1.** Constat itaque iure divino in Ecclesia esse *episcopos.* Ratione porro potestatis ordinis omnes episcopi sunt pares. Ratione potestatis iurisdictionis iure divino eminet unus, episcopus sc. Romanus, qui divino iure primatum tenet iurisdictionis ; reliqui vero episcopatuum gradus, patriarcharum, primatum, metropolitanorum, ex iure tantum ecclesiastico sunt.

2. Iansenianorum erat commentum, non solum episcopos, sed etiam *parochos* esse ex institutione divina atque statum constituere hierarchicum; unde et immediatos eos esse volebant fidelium pastores, ita ut episcopus solis parochis mediantibus gregem posset pascere, et eis competere statuebant ius in synodis fidei controversias decidendi et excommunicandi.[3]) Iam

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 37 a. 2. — *Tonsurae* significationem sic explicat idem S. Thomas: „Eis qui ad divina ministeria applicantur, *competit* rasura et tonsura in modum coronae ratione *figurae,* quia corona est signum reguli et perfectionis, cum sit circularis, illi autem qui divinis ministeriis applicantur adipiscuntur regiam dignitatem et perfecti in virtute esse debent; competit etiam eis ratione *subtractionis capillorum,* et ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur; et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur" (S. Th. Suppl. q. 40 a. 1).

[2]) S. Th. Suppl. q. 37 a. 3.

[3]) „Status curatorum est de institutione Christi et Apostolorum suorum a principio fundationis Ecclesiae; statusque curatorum est de essentiali et intrinseca Ecclesiae hierarchia" (Gerson, De stat. eccles.). „Domini curati sunt in Ecclesia minores praelati ac hierarchici, hoc est principales ac dominantes per primam institutionem Christi, atque hic status a Papa destrui non potest" (Gerson, Serm. contra Bullam ‚Regnans').

vero: 1. Parochi non sunt ex divina institutione. Nam tribus, imo in civitatibus decem primis saeculis nulli erant, sed tota iurisdictio penes episcopum erat, qui eam cum suo presbyterio ac per simplices sacerdotes exercebat. 2. Parochi qua tales non constituunt certum hierarchiae gradum. Nam hierarchiae gradus per specialem potestatem constituuntur; at parochi specialem potestatem nullam habent: non habent potestatem specialem ordinis, quia ratione huius ceteri presbyteri eis sunt pares, neque specialem potestatem iurisdictionis, quoniam in foro externo nullam habent iurisdictionem, cum nec leges ferre (quamvis vel ex expressa superiorum delegatione vel vi consuetudinis habeant potestatem a praeceptis aliquibus dispensandi) nec iudicia instituere nec poenas infligere possint, in foro autem interno eam habent iurisdictionem, quam quilibet presbyter potest habere, quamvis ipsi eam obtineant modo speciali, sc. non per solam delegationem, sed vi officii ipsis ab episcopo commissi.

Caput II.

De ordinis sacramento.

Inquirendum erit 1. an ordo generatim sit sacramentum et quibus ex dictis ordinibus ratio sacramenti competat, 2. qui huius sacramenti sit ritus, qui effectus, qui minister, quod subiectum.

Articulus I.

De existentia sacramenti ordinis.

Thesis 3.

Ordo est sacramentum proprie dictum.

Ordo hic intelligitur ordinatio sive ritus ille, quo quis in statum hierarchicum recipitur. Non autem omnis hic ritus sacramentum esse dicitur, sed aliquis ideoque saltem praecipuus. Novatores saec. 16 discrimine inter clericos et laicos sublato ordinem sacramentum esse negaverunt. Contra quos, postquam Concilium Lugdunense et Eugenius IV ordinem inter septem recensuerunt sacramenta, haec statuit Concilium Tridentinum (Sess. 23 c. 3): „Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum: a. s.“

DEMONSTRATUR: Ordo est *sacramentum.*

1. Ex *Scriptura* probatur.

„Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii" (1 Tim. 4, 14). „Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum" (2 Tim. 1, 6).

Atqui his testimoniis ritus, quo homines in ordine hierarchico constituuntur, exhibetur ritus sensibilis efficax gratiae interioris. Et sane:

a. Exhibetur *ritus sensibilis,* sc. impositio manuum, qui ritus et alibi (Act. 6, 6; 14, 22; 1 Tim. 5, 22) usurpatur pro hierarcharum consecratione. [1])

b. Hic ritus exhibetur *efficax gratiae sanctificantis.* Vox enim χάρισμα quamvis plerumque significare soleat gratiam gratis datam, tamen a. et potest significare gratiam gratum facientem (cf. Rom. 5, 15; 1 Cor. 12, 31), maxime cum una cum gratia sanctificante confertur etiam gratia gratis data, qualis est character, et b. hic certe significat gratiam sanctificantem, quia α. verbis „quae in te est" significatur gratia per se permanens, β. talis esse describitur gratia, ut postquam data sit possit „negligi", γ. neglecta debeat „resuscitari" (ἀναζωπυρεῖν i. e. excitare velut ignem), δ. sequentibus explicatur esse „gratia virtutis, dilectionis et sobrietatis".

c. Haec denique gratia exhibetur tamquam *immediatus effectus* ritus illius sensibilis. Dicitur enim dari „cum (μετά) impositione manuum" et inesse in ordinato „per (διά) impositionem manuum". [2])

2. Ex *Traditione* probatur.

1. Omnes *libri rituales* etiam earum sectarum, quae iam saec. 5 ab unitate Romana defecerunt, ordinem semper inter septem N. L. sacramenta recensent. [3])

2. *Patres* ordinem certissime habent sacramentum.

a. Diserte *sacramentum vocant* et cum aliis sacramentis *connumerant.* „Utrumque sacramentum est et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur." [4])

b. Docent ordinem *gratiam* conferre: „Spiritus plenitudinem,

---

[1]) A Graecis ipsa ordinatio ex ritu peculiari, qui in sacris ministris initiandis adhibetur, χειροθεσία dicitur i. e. impositio manuum, vel etiam χειροτονία i. e. extensio manuum, qui ritus penes profanos erat electionis atque suffragii.

[2]) ‚Prophetia', de qua 1 Tim. 4, 14 sermo est, non est nisi Spiritus S. impulsus, qui conditio erat Paulum movens ad manus Timotheo imponendas; cf. 1 Tim. 1, 18.

[3]) Cf. Morinus, De sacris ordinationibus.

[4]) Augustin. C. ep. Parm. 2, 13.

quae maxime in ordinationibus operatur"[1]) et „ordinationes sine Spiritus S. descensu fieri non posse"[2]), hinc „invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformari"[3]), imo „dignationem coelestis gratiae gignere antistitem"[4]), unde magnam habendam esse devotionem „ne tantae benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum"[5]).

c. Contra *Donatistas* ordinem sacramentum esse uti omnibus exploratum assumentes ostendunt, ordinem non secus ac baptismum „consecratione quadam dari", et ab eo qui ab unitate recesserit „non amitti", atque adeo redeuntes „non rursus ordinari" et „manere sacramentum ordinationis" etiam in illo „qui ab officio removeatur"[6]).

SCHOLION. Ordinis sacramentum, quamvis praefiguratum fuerit in V. T., tamen *Novae Legis est proprium.* „Lex Nova differt a Veteri, et sacrificium a sacrificio, et ordo ab ordine. Unde sicut sacramentum Eucharistiae est N. L. proprium, quamvis in V. L. fuerit sacrificium, quod erat huius signum: sic spiritualis potestas, secundum quam attenditur Ordinis sacramentum est N. L. propria, sacerdotium similiter, quamvis ordinis et sacerdotii praecesserit signum figurativum. Unde sicut multum differt inter agnum verum et typicum: sic multum, licet non tantum, differt inter potestatem offerendi hunc agnum et illum."[7])

Quodsi Christi sacerdotium dicitur esse secundum ordinem *Melchisedech*, „hoc intelligitur secundum expressam praefigurationem, sicut Apostolus (Heb. 7, 11 sq.) ostendit, quia praefiguravit Chr stum quantum ad originem et quantum ad dignitatem et quantum ad ritum: quantum ad originem, quia sine genealogia sc. expressa in Scriptura, quantum ad dignitatem, quia fuit sacerdos et rex et Abraham benedixit, quantum ad ritum, quia obtulit panem et vinum"[8]).

Thesis 4.

Presbyteratus, episcopatus, diaconatus sacramentum sunt.

Unumquemque eorum ordinum, qui hierarchici dicuntur, sacramentum esse, non pari certitudinis constare videtur gradu. Presbyteratum esse sacramentum est certissimum, imo a multis de fide esse existimatur; episcopatum, quatenus a presbyteratu distinguitur, et ipsum

---

1) Innoc. I, Ep. 24.
2) Chrysost. De resurr. mort. 8.
3) Gregor. Nyss. Or. in bapt. Chr.
4) Leo M. De anniv. assumpt.
5) Leo M. Ep. 9 ad Diosc.
6) Augustin. De bono coniug. 24.
7) S. Bonav. 4 dist. 24 p. 1 a. 2 q. 3.
8) S. Bonav. l. c.

verum sacramentum esse, quamvis plerique ex antiquis scholasticis contrarium opinati fuerint et ipse S. Thomas dixerit: „episcopatus magis est dignitas quam ordo“ [1]), hodie ab omnibus fere admittitur ut certum; diaconatum denique verum esse sacramentum pariter communi sententia contra Durandum et Caietanum habetur esse certum.

DEMONSTRATUR: 1. *Presbyteratus* est sacramentum.

Concilii Tridentini definitione (can. 3) definitum et tum Scripturae tum Traditionis doctrina manifestum est, ordinem esse sacramentum. Atqui eodem Concilio teste et universa Traditione consentiente sacerdotium quod est in Ecclesia visibile cum potestate consecrandi et absolvendi (can. 1), ordinis est apex, cuius reliqui ordines gradus sunt (can. 2), per s. ordinationem denique datur Spiritus S., ac proinde non frustra episcopus dicit: accipe Spiritum S., per eam imprimitur character, et is, qui sacerdos semel fuit, laicus rursus fieri non potest (can. 4). Iam vero ex his patet, saltem presbyteratum esse sacramentum.

2. *Episcopatus* est sacramentum.

Sacramentum est ille ritus quo confertur et potestas spiritualis sacramenta conficiendi eaque iure divino inamissibilis et gratia sanctificans. Atqui eiusmodi est ordinatio episcopalis. Et sane: Ordinatione episcopali confertur potestas confirmandi et ordinandi, quam valide exercet etiam episcopus ab Ecclesia degradatus. Confertur etiam gratia sanctificans; nam teste Concilio Tridentino (can. 4) datur Spiritus Sanctus, quibus verbis secundum communem loquendi rationem ex controversia cum Donatistis maxime notam gratiae infusio significatur.

3. *Diaconatus* est sacramentum.

Ritus ille est sacramentum, qui et est divinae institutionis et est efficax gratiae sanctificantis. Atqui eiusmodi est diaconatus. Et sane: Diaconatum esse divinae institutionis supra probatum est. Ritu quo confertur diaconatus, quique idem est cum ritu ordinationis presbyteri et episcopi, gratiam dari sanctificantem inde patet, quod Concilio Tridentino (can. 4) definitum est, non frustra dici ab episcopo: accipe Spiritum S., quae verba in diaconi ordinatione dicuntur.

---

[1]) S. Th. Opusc. 4 (7) a. 1. — Idem S. Thomas 4 dist. 24 q. 3 a. 2 admittit episcopatum esse ordinem „secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum“, sed non „secundum quod ordo est sacramentum“. — Ratio aliqua, cur veteres scriptores et ipsi scholastici episcopatum non satis distinxerint a presbyteratu, sita fuisse videtur in auctoritate Hieronymi et Ambrosiastri, qui hac de re parum accurate locuti sunt. Cf. v. Dunin-Borkowski in ‚Histor. Iahrbuch‘ 1900, 221 sq., et eiusdem auctoris opus ‚Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episcopats‘.

SCHOLION. Quaeritur de *aliis* ordinibus. Antiqui theologi, excepto Durando, omnes probabilius esse censuerunt, omnes ordines etiam minores totidem esse sacramenta[1]). Recentiores plerique negant quatuor minores ordines sacramenta esse, imo nec subdiaconatum volunt esse sacramentum. Ratio ita sentiendi ea potissimum est, quia hi ordines non divinae institutionis, sed ecclesiasticae esse videntur nec omnes in Ecclesia graeca reperiuntur. „Si vero adinventi et constituti sint ab Ecclesia, non poterunt sane participare rationem sacramenti, ad quod de novo instituendum sola Ecclesiae auctoritas non protenditur.“ [2]) At haud immerito dici poterit, hos ordines comprehenso subdiaconatu quasdam esse diaconatus portiones aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo decerptas, ita ut in fonte suo, sc. in diaconatu unde veluti rivuli scaturierint, divinae institutionis atque adeo sacramenta esse merito dici possint, quamvis in se ipsi sacramentalia potius sint quam sacramenta.

COROLLARIUM. Quamvis plures sint ordines pluresque ex iis rationem habeant sacramenti, tamen *unum* simpliciter dicendum est esse ordinis sacramentum. „Divisio ordinis non est totius integralis in suas partes neque totius universalis, sed totius potestativi, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio eius. Et ita est hic. Tota enim plenitudo sacramenti huius est in uno ordine, sc. sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis. Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum.“ [3])

Articulus II.

De essentia sacramenti ordinis.

Thesis 5.

Manuum impositio, eaque probabiliter sola, est materia sacramenti ordinis; forma est precatio concomitans.

De materia et forma, ex quibus essentia constituitur ritus sacramentalis, in hoc sacramento aliqua certa sunt, aliqua dubia. Sermo est de illis ordinibus qui certe sunt sacramenta.

DEMONSTRATUR: **1.** *Materia* sacramenti ordinis est *impositio manuum,* eaque probabiliter *sola.*

Materia ordinis *practice necessaria,* ita ut si quid eorum defuerit, ordinatio sub conditione iteranda sit, est *impositio manuum*

---

[1]) Quam sententiam aetate S. Thomae communiorem fuisse, ipse S. Thomas testatur Suppl. q. 35 a. 2. Ex sequioribus subdiaconatum et ordines minores sacramentum esse censent Bellarminus, Valentia, Sylvius, Estius, Billuart Gotti, Wirceburgenses, Billot etc.

[2]) Bened. XIV, De syn. dioec. 8, 9.

[3]) S. Th. Suppl. q. 37 a. 1 ad 2.

et *traditio instrumentorum;* forma est episcopi *oratio* una cum *verbis in traditione instrumentorum.* Consequitur hoc ex praxi Ecclesiae et ex verbis Concilii Tridentini et Florentini. Concilium enim Tridentinum (Sess. 14 cap. 13) loquitur de sacerdotibus „per impositionem manuum“ ordinatis. Concilium Florentinum haec habet (Decret. pro Armenis): „Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem, diaconatus vero per libri evangeliorum traditionem . . . forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis in nomine Patris et Filii et Spiritus S.“

Quodsi quaeratur, quae materia et forma sit *theoretice essentialis,* triplex est sententia. Alii, praesertim veteres scholastici inde a saec. 11, solam traditionem instrumentorum materiam essentialem esse volunt, innisi maxime verbis Concilii Florentini, quae alterius rei mentionem non faciunt. At sententia haec prorsus reiicienda est. Alii et instrumentorum traditionem et cum eo iunctam manuum impositionem statuunt materiam essentialem. [1]) Alii denique, inter quos plerique recentiores, eo quod et Scripturae et antiquitatis monumenta ante saec. 10 [2]) mentionem faciunt solius manuum impositionis eamque solam adhibet Ecclesia graeca [3]), in hac impositione sola sitam esse contendunt materiam huius sacramenti essentialem. At vero „cum omnia, quae habentur in antiquis ritualibus, perseverent intacta ac sancte et integre etiam nunc peragantur, nemo facile credet, illa eadem quae iam pridem satis erant nunc ad ordinis sacramentum amplius non sufficere“ [4]). In hac ultima autem sententia Eugenius IV dicendus est voluisse, ut Armenos ad uniformitatem induceret cum Ecclesia Romana, solum ideo traditionis instrumentorum mentionem facere, quia Armeni eam non habebant. Primi certe *diaconi* non fuerunt ordinati traditione libri evangeliorum, quippe quae nondum essent conscripta. In ordinatione *episcopi* neque impositio libri evangelii super caput eius neque unctio, quamvis hae ceremoniae sint antiquae, tamen cum non semper et ubique in usu fuerint [5]), dicendae

---

[1]) S. Thomas (3 q. 84 a. 4; Suppl. q. 37 a. 5) characterem vult imprimi per traditionem instrumentorum, per manus vero impositionem docet dari plenitudinem gratiae, per quam ministri Ecclesiae ad magna officia idonei fiant. S. Bonaventura (4 dist. 24 p. 2 a. 1 q. 4) censet, traditionem instrumentorum in impositione manuum implicite contineri.

[2]) Cf. Clem. Rom. Epist. 2; Recogn. 3, 66; Clem. Alex. Strom. 6, 13 etc.

[3]) Cf. Denzinger, Rit. orient. 1, 136 sq.

[4]) Bened. XIV, De syn. dioec. 8, 10.

[5]) ‚Testamentum D. N. I. Chr.‘ in consecratione episcopi, quam satis fuse describit, impositionem codicis evangeliorum nondum novit.

sunt spectare ad materiam essentialem. Nec facile porro admitti potest, quod nonnulli volunt, Christum Ecclesiae suae ita fecisse potestatem huius sacramenti materiam in specie determinandi, ut Ecclesia pro lubito suo eam etiam posset *mutare*.

Cum porro in sacerdotis ordinatione *triplex* inveniatur manuum impositio, prima solius episcopi nihil dicentis, altera episcopi simul cum presbyteris assistentibus, episcopo orante, tertia post communionem, quamvis omnes hae impositiones ad integritatem spectent ritus, tamen essentialis non est tertia impositio, quippe quae antiquitus non fuerit, sed secunda, quae tamen veluti continuatio primae haberi poterit.[1])

2. *Forma* sacramenti ordinis est *oratio* concomitans.

Quod quidem ex ipsis s. Litteris patet.[2]) Quae oratio certe illa est quae dicitur una cum secunda manuum impositione. Utrum vero ad essentiam eius spectent etiam verba, quae in traditione instrumentorum dicuntur, pendet a quaestione, an haec traditio ad materiam pertineat; id quod probabiliter negandum esse audivimus.[3])

Thesis 6.

Effectus sacramenti ordinis est gratiae augmentum et character.

1. *Gratiae augmentum* per sacramentum ordinis una cum gratiis actualibus confertur, „ut quis sit idoneus minister“ (Conc. Flor. Decret. pro Armenis).

Atque huiusmodi gratiae augmentum ex ipsa indole huius sacramenti requiritur. „Sicut gratia gratum faciens est necessaria ad hoc, quod homo digne sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc, quod homo digne sacramenta dispenset; et ideo sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem.“[4]) „Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscunque, sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Et ideo praeexigitur gratia, quae sufficiat ad hoc, quod digne connumerentur in plebe Christi: sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod ad maiora reddantur idonei.“[5])

---

[1]) Cf. Bened. XIV, De syn. dioec. 8, 10.
[2]) Cf. Const. Ap. 8, 16.
[3]) Cf. plura apud Sasse (Lehmkuhl) c. 3 et 4.
[4]) S. Th. Suppl. q. 35 a. 1.
[5]) S. Th. l. c. ad 3.

2. Ordinatione *character* imprimitur i. e. „signum quoddam spirituale et indelebile“ (Conc. Trid. Sess. 7 can. 9).

Quod definitum est a Concilio Tridentino (l. c.) et probatur:

1. Ex doctrina *Patrum* in controversia cum Donatistis. Sic v. g. Augustinus: „Sicut baptismus in eis (sc. episcopis qui a schismate redierunt), ita ordinatio mansit integra; quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis quae, ubicunque sunt, ipsa sunt.“ [1])

Hinc est Ecclesiae praxis, absque iteratione sacramenti imo hac iteratione severe prohibita recipiendi ab haeresi vel schismate venientes, sive in Ecclesia prius susceperint ordinem sive extra Ecclesiam debito modo ordinati fuerint. Si vero redeuntibus aliqua adhibebatur manuum impositio, ea non sacramentalis erat, sed reconciliatoria. [2])

2. Ex *ratione theologica*. Et sane: ordinatio talis est consecratio, qua confertur potestas supernaturalis conficiendi sacramenta, quae iuris divini est et iure divino manet. Atqui huiusmodi consecratio est proprie dictus character. [3]) Imo, ut ait S. Thomas, „character interior est essentialiter et principaliter sacramentum ordinis“ [4]).

Indoles vero propria huius characteris in eo est, quod „tum potestatem sacramenta conficiendi et ministrandi coniunctam habet, tum eorum, qui eiusmodi potestate praediti sunt, a reliquo fidelium coetu distinctionem ostendit“ (Catech. Rom.).

COROLLARIUM. Potestas illa, prout immediate ex ordinibus consequitur, potestas vocatur *ordinis* in oppositione ad potestatem *iurisdictionis;* quae quidem iurisdictionis potestas ut conferatur, potestatem ordinis plerumque supponit, vel saltem statum clericalem, cui quis per tonsuram aggregatur.

Thesis 7.

Minister ordinis est episcopus; subiectum est homo baptizatus sexus masculini.

Plurima, quae hic tractari possent, ad theologos morales et canonistas spectant. Unde rem breviter expedire licebit.

---

[1]) Augustin. C. epist. Parm. 2, 28. — Cf. tract. de Sacram. in genere th. 6 et 8.

[2]) ‚Janus‘ (p. 300) exprobrat Concilio Lateranensi II, quod ordinationes schismaticorum „irritas“ effecerit. Verum haec irritatio non erat nisi prohibitio, „ne illi episcopi officium impleant et in illo ordinis gradu perenniter demorantes ad superiorem non ascendant“ (Mansi, 21, 535). Cf. ‚Zeitschrift für kath. Theologie‘ 1893, 96 sq.

[3]) Cf. S. Th. 3 q. 63 a. 2.

[4]) S. Th. Suppl. q. 34 a. 2 ad 1.

I. *Minister* sacramenti ordinis, i. e. episcopatus, presbyteratus, diaconatus [1]) est solus episcopus; reliquorum ordinum episcopus est minister ordinarius.

1. Quod *sacramentum* ordinis spectat, Patres, ut Epiphanius, Chrysostomus, ipse Hieronymus, ordinandi potestate vel maxime vel etiam unice episcopos presbyteris superiores esse docent. [2]) Quibus theologorum unanimis accedit consensus. Nec ullum affertur probabile exemplum, ex quo colligi possit, ordinis sacramentum collatum ab eo, qui non fuerit episcopus, ut validum agnitum fuisse. [3])

2. Etiam *reliquorum* ordinum minister ordinarius episcopus est. Verum ex delegatione Romani Pontificis a simplicibus presbyteris conferri eos posse, et propter concessionem factam olim chorepiscopis, etiam illis qui simplices erant presbyteri, et propter privilegium etiam recentiore aetate presbyteris collatum satis constare dicendum est. [4])

3. Ex dictis et ex iis quae in tractatu de Sacramentis in genere probata sunt consequitur, ordinationem etiam illam, quae ab episcopo *haeretico* et *schismatico* collata fuerit, esse validam.

Controversia aliquando erat aliqua vehemens de valore ordinationum *Anglicanarum*. Quam controversiam Leo XIII a. 1896 supremo iudicio diremit, declarans, illas ordinationes invalidas esse, quia forma eiusque sensus de industria et mente haeretica mutata fuerint. [5])

---

[1]) Catechismus Romanus etiam subdiaconos a solo episcopo ordinari posse significat.

[2]) Cf. supra p. 151 sq.

[3]) Immerito a nonnullis provocatur ad privilegium ordinandorum diaconorum quod ab Innocentio VIII a. 1489 abbatibus Cisterciensibus concessum fuisse fertur. Plerique hanc Bullam genuinam esse negant. Verum Gasparri (De sacra ordinatione 2 n. 798) testatur: „Facta inspectione in archivio Vaticano relatum mihi est, Bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse.“

[4]) Nihilominus raro illud concedi constat, et a Concilio Constantiensi cautum est: „Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.“

[5]) Verba Leonis XIII, quae huc maxime faciunt, haec sunt: „Omnes norunt, sacramenta N. L. utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quae significatio praecipue ad formam pertinet . . . Iam vero verba, quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab Anglicanis tamquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet *Accipe Spiritum Sanctum*, minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel eius gratiam et potestatem, quae praecipue est potestas *consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem*

2. De *subiecto* ordinum suscipiendorum idoneo haec dicenda hic videntur.

1. Ad *validam* susceptionem ordinis requiritur: a. Ut suscipiens sit α. *baptizatus* quia baptismus est „vitae spiritualis ianua et per ipsum membra Christi ac de corpore Ecclesiae efficimur“ (Decret. pro Armenis). β. Ut sit sexus *masculini*, idque probabiliter ex iure divino, quia nec Apostolus (1 Cor. 14, 34 sq.; 1 Tim. 2, 11 sq.) permittit mulieribus publice in Ecclesia docere, et teste Tertulliano „non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere nec tingere nec offerre nec ullius virilis officii, nedum sacerdotalis officii

---

Domini (Conc. Trid. Sess. 23 De sacr. ord. can. 1), eo sacrificio, quod non est *nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti* (Conc. Trid. Sess. 22 De sacrif. Missae, can. 3). Forma huiusmodi aucta quidem est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyteri:* sed hoc potius convincit, Anglicanos vidisse ipsos primam eam formam fuisse mancam neque idoneam rei. Eadem vero adiectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formae posset, serius est inducta, elapso iam saeculo post receptum ordinale Eduardianum, cum propterea hierarchia extincta potestas ordinandi iam nulla esset. Nequidquam porro auxilium causae novissime arcessitum est ab aliis eiusdem ordinalis precibus. Nam, ut cetera praetereantur quae eas demonstrent in ritu anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdoti perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticet quod deberet proprium significare. De consecratione episcopali similiter est. Nam formulae, *Accipe Spiritum Sanctum*, non modo serius adnexa sunt verba, *ad officium et opus episcopi*, sed etiam de iisdem, ut mox dicemus, iudicandum aliter est quam in ritu catholico. Neque rei proficit quidquam advocasse praefationis precem, *Omnipotens Deus;* cum ea pariter deminuta sit verbis quae *summum sacerdotium* declarent. — Cum hoc igitur intimo *formae defectu* coniunctus est *defectus intentionis*, quam aeque necessario postulat, ut sit sacramentum. De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat: at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero cum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane principio innititur doctrina, quae tenet esse vere sacramentum vel illud quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur eo manifesto consilio, ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem imo haberi sacramento adversam et repugnantem. — Itaque omnibus Pontificum decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate nostra, motu proprio, certa scientia pronuntiamus et declaramus, ordinationes, ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse omninoque nullas.“

sortem vindicare" [1]; et teste Epiphanio „nunquam, ex quo mundus conditus est, apud Deum mulier sacerdotio functa est." [2] c. Qui *episcopus* est consecrandus, probabiliter requiritur, ut prius ordinatus fuerit *presbyter*, utpote in cuius potestate centrum positum sit omnis potestatis ordinis. [3]

Qui rationis non sunt capaces, ut *infantes*, quamvis qui sic ordinantur non teneantur obligationibus ex ordine sequentibus, valide tamen eos posse ordinari communiter theologi et ipse Catechismus Romanus admittunt. [4]

2. Ad *licitam* susceptionem requiritur: vocatio divina, recta intentio, suscepta confirmatio, vitae probitas, debita scientia, aetas legitima, immunitas a censuris et irregularitatibus, observatio interstitionum, pro ordinibus maioribus titulus ordinationis. De quibus cf. Conc. Trid. Sess. 23 de reform.

Obligationes praecipuae pro iis qui sunt in ordinibus maioribus sunt: recitatio horarum canonicarum et coelibatus; quae utraque obligatio iuris ecclesiastici est.

SCHOLION. Clericorum *coelibatus* innititur tum exemplo Christi et Apostolorum, qui ex quo Christum secuti sunt, continentiam servavisse videntur (cf. Matth. 19, 27 sq.; 1 Cor. 7, 7) [5], tum Apostoli doctrinae et generatim virginitatem extollentis (cf. 1 Cor. 7) et speciatim rationem praecipuam significantis (1 Cor. 7, 33): „Qui cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est", et denique statuentis (1 Tim. 3, 2; Tit. 1, 6), episcopum non esse debere nisi „unius uxoris virum." [6]

---

1) Tertull. De vel. virg. 9.

2) Epiph. Haer. 70, 2.

3) Qua in quaestione *controversia* est theologorum, de qua cf. Sasse (Lehmkuhl) II 333 sq.

4) „Pueris et furiosis vel amentibus, quod usu rationis carent, hoc sacramentum dandum non est: quamvis si iis quoque administraretur, sacramenti characterem in eorum animam imprimi certo credendum sit." Catech. Rom.

5) Ubi Apostolus potestatem se habere dicit „mulierem sororem circumducendi sicut et ceteri Apostoli fratres Domini et Cephas" (1 Cor. 9, 5), Iovinianum secuti acatholici recentiores perperam volunt, Apostolos uxores secum duxisse. Nam certe Apostolus uxorem non habuit (1 Cor. 7, 7); Paulus porro dicit γυναῖκα ἀδελφήν i. e. vel „mulierem ceu sororem" vel „sororem i. e. christianam mulierem". Intelligendae autem sunt mulieres fideles, quae, non secus ac Christum ipsum, Apostolos sequebantur vel suppeditantes, quae ad victum necessaria erant, vel etiam in ministerio aliquam opem ferentes; quemadmodum textum illum iam interpretantur Clemens Alex. Strom. 3, 6; Tertull. De monog. 8; Hieronym. C. Iovinian. 1, 26).

6) In versione syriaca Peschitto ex disciplina vigente vertitur: „qui *fuit* vir unius uxoris". Haec eadem disciplina significatur Can. eccl. 1 et Testam. D. N. I. Chr. 1, 20.

Quamvis porro demonstrari nequeat, iam inde ab Apostolis coelibatum *lege* stricta fuisse praescriptum, nihilominus ex eo iam tempore consuetudine satis universali a sacerdotibus eum observatum fuisse constat. Lex certe clare promulgata est a Synodo *Eliberitana* (a. 305), qua praescribitur „episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis". In Oriente, ubi praxis laxior vel viguit vel irrepserat, a Synodo *Trullana* (a. 692) coelibatus solis episcopis praecipitur, aliis clericis permittitur, ut cum uxore, quam ante subdiaconatum susceptum duxerint, etiam in posterum vivant.[1])

[1]) Cf. alia de coelibatu clericorum apud Funk, Abhandlungen; Bickell in ‚Zeitschrift für kath. Theolog.' 1878, 26; 1879, 792; Laurin in ‚Staatslexicon' sub voce Coelibat, et auctores ibi citatos.

DE MATRIMONIO.

„Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.“

Eph. 5, 31 sq.

De matrimonii *definitione* et *divisione* aliqua praemittenda videntur.

Matrimonium, ut primo *nomen* explicemus, dicitur a prole, i. e. a *fine*, ad quem ordinatur; sc. quia „mulier non debet ob aliud nubere nisi ut sit mater“ [1]). Nuncupatur vero a matre potius quam a patre, quia circa prolem magis officiosa est mater quam pater, cum prolem concipere, parere, educare ipsius munus sit; „puer magis materno indiget solatio quam paterno, sibique ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscitur.“ [2]) *Coniugium* ab eo dicitur, *quod est*, quia sc. vir cum muliere quasi uno iugo i. e. vinculo mutuo ac mutua potestate ligatur. *Nuptiae* et *connubium* dicuntur a *signo*, in quo apparent, quia antiquitus mulieres se obnubere solebant tum pudoris gratia tum ut eas maritis obedientes subiectasque esse oportere significaretur. [3])

De definitione *reali* matrimonii ut dicatur, tria in matrimonio consideranda sunt: *causa, essentia, effectus;* atque secundum haec tria tres sunt matrimonii definitiones. Prima exhibet matrimonii causam: „matrimonium est duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione *consensus.*“ [4]) Altera ipsam matrimonii essentiam exhibet atque addit determinatum subiectum: „viri mulierisque *con-*

---

[1]) Augustin. C. Faust. 19, 26.

[2]) Gregor. IX Decretal. c. 2, 10, 3.

[3]) Vox germanica „Ehe“ primitus ewa (αἰών, aevum) erat, ac legem quandam significat perennem.

[4]) Hugo Vict. De sacr. 2, 11, 4.

iunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.“ [1]) Tertia, quae Iuris Rom. est, tangit effectum, ad quem ordinatur matrimonium: „consortium communis vitae et *communicatio divini et humani iuris.*“ [2])

2. Matrimonium *distinguitur* legitimum, ratum, consummatum. *Legitimum* dicitur matrimonium, quod absque impedimentis dirimentibus contrahitur, quale esse potest apud infideles; *ratum* dicitur, i. e. receptum inter fideles, quando est sacramentum; *consummatum,* quando copula carnali perfectum est.

In christianorum matrimonio duo distinguuntur, sc. ratio *contractus,* seu prout est matrimonium in officium naturae, et ratio *sacramenti,* ad quod contractus matrimonialis a Christo est elevatus. Atque de duplice hac ratione seorsim dicendum erit. Deinde speciatim de matrimonii *proprietatibus* et denique de Ecclesiae in illud *potestate* tractabitur.

Caput I.

De matrimonio ut est in officium naturae.

De matrimonio, ut est in naturae officium, varii *errores* decursu temporis excogitati sunt. Primis iam saeculis Manichaei, Gnostici, Carpocratiani, Marcionistae, quos medio aevo Albigenses et Cathari secuti sunt, quamquam carnis commixtionem probabant, prolis tamen generationem uniusque ad alterum perpetuam obligationem malam esse dicebant et a satana invectam. Iovinianus contra et Vigilantius saec. 4 ita matrimonium extollebant, ut illud virginitati praeponerent. Ast his omnibus peius ac turpius falluntur nostrae aetatis communistae aliique libertini plurimi veterum illorum haereticorum errores et restaurantes et superantes.

Contra hos errores *veritas* nobis explicanda et vindicanda erit multiplex: imprimis ipsa matrimonii essentia oportet ut declaretur [th. 1], deinde quam secundum ipsius naturae ius matrimonium sit honestum ostendemus [th. 2], tum exaggerationes, quae ex hac matrimonii cum iure naturae convenientia deduci posse videntur, reiiciemus [th. 3].

---

[1]) Mag. 4 dist. 27 c. 2.

[2]) L. 1 D, De rit. nupt. 23, 2.

Thesis 1.

Matrimonium est coniunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.

Matrimonii essentia quamvis plene non cognoscatur nisi tota hac de matrimonio tractatione absoluta, in ipso tamen huius disputationis exordio, ut de qua re sermo sit accurate liqueat, aliquo modo adumbranda videtur. Quod commode efficiemus definitionem, quae vulgo traditur matrimonii, breviter explicaturi. Definitio enim haec omnes, quae dici possunt, matrimonii causas exhibet; nulla autem ratione rei alicuius essentia aptius explicatur quam per causas eiusdem.

DEMONSTRATUR: 1. Causa *formalis* matrimonii est coniunctio maritalis individuam vitae consuetudinem retinens.

Matrimonium est in genere „coniunctionis“. Per matrimonium enim, prout ab omnibus intelligitur, ordinantur aliqui ad unam generationem et educationem prolis et ad unam vitam domesticam. Ea autem quae adunantur ad aliquid unum, dicuntur ad illud adunari. At vero ubicunque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua coniunctio. Ergo matrimonium coniunctio est. — Vox „maritalis“ differentiam specificam exhibet. Ea enim significatur ordo ad gignendam prolem humanam, in quo finis matrimonii est praecipuus. — Quoniam vero prolis generatio et educatio exigit, ut parentes sibi commaneant atque adeo ut sit una eorum vita domestica, ulterius illa coniunctio significatur esse „individuam vitae consuetudinem retinens“.

Quodsi quaeratur, quid proprie sit huiusmodi coniunctio, respondendum est eam sitam esse in *vinculo morali* quodam, sc. in mutua coniugum in corpus alterius potestate atque obligatione ad prolem generandam; id quod ab Apostolo significatur his verbis: „Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier“ (1 Cor. 7, 4). Atque hoc ad essentiam illius vinculi spectat. De integritate vero eius est praeterea communio tori ac habitationis, necnon unio saltem aliqua mentium et bonorum, utpote sine quibus matrimonium, quamvis constet, exitum saltem felicem non habebit. Vinculum hoc matrimoniale est vinculum animorum, siquidem ius et obligatio utpote quid spirituale non potest inesse nisi animis.

2. Causa finalis matrimonii, seu finis qui dicitur ‚operis‘, est alter principalis, alter secundarius.

1. Finis *primarius* est prolis humanae generatio et educatio. „Matrimonium principaliter est institutum ad bonum prolis, non tan-

tum generandae, quia hoc etiam sine matrimonio fieri potest, sed etiam promovendae ad perfectum statum, quia quaelibet res intendit effectum suum naturaliter perducere ad perfectum. Est autem in prole duplex perfectio consideranda: sc. naturae, non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam, per ea quae sunt de lege naturae; et perfectio gratiae." [1]) Iam vero tota haec hominis perfectio cum alia non sit quam ipse totius humanae vitae ultimus finis, videlicet Deus, etiam matrimonii finis definiri poterit prolis generatio et educatio ad cultum Dei. Atque hic finis in matrimonii institutione satis iam innuitur, cum dicitur: „Erunt duo in carne una" (Gen. 2, 24).

2. Finis *secundarius* est duplex: sc. tum mutuum coniugum adiutorium et obsequium in iis quae ad vitam domesticam spectant, qui finis significatur verbis: „Non est bonum esse hominem solum" (Gen. 2, 18); tum remedium concupiscentiae, quem exprimit Apostolus dicens: „Melius est nubere quam uri" (1 Cor. 7, 9), et iterum: „Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat", ac paulo post, cum interdum orationis gratia a matrimonii usu abstinendum esse docuerit: „Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram" (1 Cor. 7, 2 sq.). Quod tamen remedium, cum nisi finis secundarius non sit, non debet quaeri nisi per copulam, quae natura sua ad generationem apta est.

3. Causa *efficiens* matrimonii est mutuus consensus legitimus in vinculum matrimoniale.

Est mutuus *consensus*. „Unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius nisi per eius consensum. Sed per matrimonium accipit uterque coniugum potestatem in corpus alterius, cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet. Ergo consensus facit matrimonium." [2]) Intelligitur, ut per se patet, consensus *mutuus*. [3]) Requiritur vero consensus *legitimus*, i. e. qui est secundum leges et naturae et societatis, cui subest matrimonium. Nam generatio ordinatur ad conservationem speciei; unde cum ad bonum commune sint leges, ea quae pertinent ad generationem prolis oportet legibus ordinari et divinis et humanis. De consensus autem huius conditionibus consulendi sunt theologi morales et canonistae. [4])

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 59 a. 2.

[2]) S. Th. Suppl. q. 45 a. 1.

[3]) Hinc a Sede Apostolica 3 apr. 1889 declaratum est, unionem, qua mulier viro ius in corpus non agnoscat, matrimonium non esse.

[4]) De consensu *conditionato* haec tenenda sunt. Si conditio sit ipsi essentiae matrimonii contraria et utrimque in pactum deducta, matrimonium

4. Causa *materialis* matrimonii seu subiectum sunt personae legitimae.

Est enim matrimonium, ut audivimus, vinculum morale ad bonum societatis. Oportet igitur ut qui matrimonium ineunt nullo impedimento teneantur, quo bonum hoc vel perimatur vel in periculum vocetur. Societatis vero est legibus sancire, quid ad eius bonum conducat quidque ei adversetur. Ergo personarum idoneitas et a naturae iure et a societatis legibus est determinanda. Intelligitur autem, ut patet, societas ea, cui subest matrimonium.

COROLLARIUM. Cum quaestione de matrimonii fine cohaerent intime quae a theologis de *bonis* matrimonii statuuntur. Atque de his bonis haec accipiantur.

Haberi debere aliqua matrimonii bona, sic probatur: „Nullus sapiens debet iacturam aliquam sustinere, nisi pro aliqua recompensatione alicuius aequalis vel melioris boni; unde electio alicuius, quod aliquam iacturam habet annexam, indiget alicuius boni adiunctione, per cuius recompensationem ordinetur et honestetur. In coniunctione autem viri et mulieris rationis iactura accidit: tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut non possit aliquid intelligere in ipsa; tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium, ut patet 1 Cor. 7. Et ideo talis coniunctionis electio non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum, ex quibus dicta coniunctio honestetur: et haec sunt bona, quae matrimonium excusant et honestum reddunt." [1])

Assignantur vero matrimonii bona haec: *proles, fides, sacramentum.* Convenienter autem haec recenseri bona matrimonii sic patet: „Matrimonium est in officium naturae et est sacramentum Ecclesiae. Inquantum autem est in officium naturae, duobus ordinatur, sicut et quilibet alius virtutis actus. Quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis, et hoc est intentio finis debiti: et sic ponitur bonum matrimonii proles. Aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere ex hoc quod cadit supra debitam materiam: et sic est fides, per quam homo ad suam accedit, et non ad aliam. Sed ulterius habet aliquam bonitatem, inquantum est sacramentum: et hoc significatur ipso nomine sacramenti." [2])

Quaerunt porro, quod horum bonorum sit *principalius.* Principalius dicitur aut quod dignius aut quod essentialius est. Si *dignius* quaeritur

---

invalidum erit in utroque foro. Si vero conditio solum interne apponatur, distinguendum erit inter illum qui, quamvis non sit paratus matrimonii obligationibus adimplendis, animum tamen habet eas suscipiendi, et illum qui ita est animo comparatus, ut aliquam ex obligationibus ad essentiam matrimonii pertinentibus nolit suscipere: prior valide contrahit in utroque foro; alter, in foro quamquam externo praesumitur voluisse valide contrahere, in foro interno invalide contrahit, nisi forte consensu non limitato ad illam conditionem voluntas generalis valide contrahendi praevaluerit.

1) S. Th. Suppl. q. 49 a. 1.

2) S. Th. l. c. a. 2.

bonum, est sacramentum, quia pertinet ad ordinem gratiae. „Si autem dicatur principalius quia *essentialius*, sic distinguendum est, quia fides et proles possunt dupliciter considerari. Uno modo *in seipsis* (i. e. in actu), et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur et pactio coniugalis servatur, sed indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se, quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari non possunt; et inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate; invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non dependet ab usu suo: et secundum hoc sacramentum est essentialius matrimonio, quam fides et proles. Alio modo possunt considerari fides et proles, secundum quod sunt *in suis principiis*, ut pro prole accipiatur intentio prolis et pro fide debitum servandi fidem, sine quibus etiam matrimonium esse non potest, quia haec in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur; ita quod si aliquid contrarium his exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium: et sic accipiendo fidem et prolem constat quod proles est essentialissimum in matrimonio, et secundo fides, et tertio sacramentum; sicut etiam homini est essentialius esse naturae quam esse gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius.“ [1])

Quo denique sensu actus matrimonii per bona eius *excusetur*, sic explicat S. Thomas: „Aliquis actus dicitur excusari dupliciter. Uno modo ex parte *facientis*, ita quod non imputetur facienti in culpam, quamvis sit malus, vel saltem non in tantam culpam; sicut ignorantia dicitur excusare peccatum in toto vel in parte. Alio modo dicitur excusari actus ex parte *sui*, ita scilicet quod non sit malus: et hoc modo praedicta bona dicuntur excusare actum matrimonii. Ex eodem autem habet actus aliquis, quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus, quia non est aliquis actus indifferens. Dicitur autem aliquis humanus actus bonus dupliciter: uno modo bonitate virtutis, et sic habet actus, quod sit bonus ex his quae ipsum in medio ponunt: et hoc faciunt in actu matrimonii fides et proles; alio modo bonitate sacramenti, secundum quod actus non solum bonus, sed etiam sanctus dicitur: et hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate coniunctionis, secundum quam significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam. Et sic patet quod praedicta bona sufficienter actum matrimonii excusant.“ [2])

SCHOLION. Quaeritur, quomodo matrimonii *usus* se habeat ad eius essentiam. Certum est vi ipsius contractus matrimonialis consensum fieri in usum matrimonii. Nam „consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, sicut implicite continetur effectus in causa sua, quia potestas carnalis copulae, in quam consentitur, est causa carnalis copulae, sicut potestas utendi re sua est causa usus.“ [3]) Verum hisce nondum responsum est quaestioni, utrum ipse usus ad matrimonii essentiam spectet necne, et utrum proinde valide contrahatur necne cum mutuo pacto servandae castitatis.

---

1) S. Th. l. c. a. 3.
2) S. Th. l. c. a. 4.
3) S. Th. Suppl. q. 48 a. 1.

Fuit veterum aliquorum sententia, quam nuper resuscitavit Freisen [1]), ad essentiam contractus matrimonialis ipsam copulam maritalem pertinere. Verum haec opinio et contra communem theologorum doctrinam est et contra ipsorum fidelium sensum, qui verum censent esse matrimonium, priusquam copula carnalis locum habeat, imo quin ea unquam subsequatur. „Quibus placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum coniugale rumpatur; imo firmius erit quo magis ea pacta secum inierint quae carnis concordiusque servanda sunt . . . voluntariis affectibus animorum.“ [2]) „Perfectum matrimonium fuit inter Adam et Evam ante cognitionem carnalem et ante dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, quam eam cognosceret; ergo commixtio non est de integritate. Item perfectum matrimonium fuit inter Mariam et Ioseph, quia fuit ibi bonum prolis, bonum fidei et sacramenti, et sine commixtione; ergo commixtio non est de integritate.“ [3]) Et re quidem vera: duplex est matrimonii integritas: „una quae attenditur secundum perfectionem primam, quae consistit in ipso esse rei, alia quae attenditur secundum perfectionem secundam quae consistit in operatione: quia ergo carnalis commixtio est quaedam operatio sive usus matrimonii per quod facultas ad hoc datur, ideo erit carnalis commixtio de secunda integritate matrimonii, et non de prima.“ [4])

Hinc est, quod minime irritari existimandus est contractus matrimonialis per *pactum* mutuo susceptum *servandae perpetuae continentiae*, cuiusmodi pactum in matrimonio B. Virginis cum S. Iosepho intercessisse videtur. Non enim ipsi matrimonii essentiae repugnat hoc pactum, utpote quae nec est proles nec copula, sed solum mutua potestas, quae, quia pacto illo contrahentes non renuntiant nisi iuri proximo utendi potestate hac, manere dicenda est; ita quidem, ut si pactum non servaretur, contra fidelitatem utique peccaretur promissionis, non vero contra castitatem. [5])

Thesis 2.

Matrimonium 1. honestum est, idque 2. ita ut omnis alia coniunctio maritalis honesta non sit.

Matrimonium hic intelligitur, prouti superius definitum est, maris et feminae coniunctio ad prolem suscipiendam mutuum conferens ius atque obligationem ac saltem aliquo modo perpetua. Huiusmodi matrimonium eiusque usum honestum esse ac praeterea illud ita esse necessarium, ut extra matrimonium sive carnalis copula sive prolis generatio licita minime sit, probabitur.

---

[1]) Freisen, Geschichte des kanon. Eherechts. Auctor ipse suam sententiam uti doctrinae Ecclesiae parum cohaerentem reprobavit in ‚Archiv für kath. Kirchenrecht‘ 1892, 369 sq.

[2]) Augustin. De nupt. et concup. 1, 11.

[3]) S. Bonav. 4 dist. 26 a. 2 q. 3.

[4]) S. Th. Suppl. q. 42 a. 4.

[5]) Cf. plura de hac quaestione apud Palmieri, De matrimonio th. 3, et Ballerini-Palmieri, Opus theol. mor. vol. 6 n. 414 sq.

DEMONSTRATUR: **1.** Matrimonium *honestum* est.

1. Matrimonium est secundum *ius naturale.*

„Aliquid dicitur esse naturale dupliciter. Uno modo, sicut ex principiis naturae ex *necessitate* causatum, ut moveri sursum est naturale igni: et sic matrimonium non est naturale, nec aliquid eorum, quae mediante libero arbitrio complentur. Alio modo dicitur naturale, ad quod natura *inclinat*, sed mediante libero arbitrio completur; sicut actus virtutum vel virtutes dicuntur naturales. Et hoc modo matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter. Primo quantum ad *principalem* eius finem, qui est bonum prolis; non enim intendit natura solum generationem prolis, sed traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis, inquantum homo est, qui est virtutis status; unde secundum Philosophum (8 Ethic. cap. 11 et 12), tria a parentibus habemus, scilicet esse, nutrimentum et disciplinam: filius autem a patre educari et instrui non posset nisi determinatos et certos parentes haberet, quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quae matrimonium facit. Secundo quantum ad *secundarium* finem matrimonii, qui est mutuum obsequium sibi a coniugibus in rebus domesticis impensum; sicut enim naturalis ratio dictat, ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus, quae ad ipsam vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus, ita etiam eorum, quibus indigetur ad humanam vitam, quaedam opera sunt competentia viris, quaedam mulieribus; unde natura movet, ut sit quaedam associatio viri ad mulierem, in qua est matrimonium.“ [1])

Quae porro sit matrimonii ad vitam *socialem* recte instituendam utilitas quique uberrimi ac saluberrimi eius fructus, sic egregie explicat Leo XIII (Encycl. ‚Arcanum‘ d. d. 20 febr. 1880): „Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane, praeter quam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem

[1]) S. Th. Suppl. q. 41 a. 1. — Ex qua tamen naturali inclinatione ad matrimonium minime, uti nonnulli (Fichte, Klee, Schell) volunt, consequitur, hominem singularem non esse vel perfectum hominem vel Dei imaginem.

Quamquam porro mulieris et viri ex ipso sexus discrimine sunt officia diversa, et quamquam in viro „naturaliter magis abundat discretio rationis“ (S. Th. 1 q. 92 a. 1 ad 2), et quamquam mulier, cum viro libere nupserit, propter rectum ordinem necesse est ut in iis quae finium sunt matrimonii viro sit obediens, in morem non ancillae, sed sociae: nihilominus nec cum Aristotele dici poterit „femina mas occasionatus“ atque ideo deficiens nec viro essentialiter inferior, sed tum ratione naturae tum ratione finis ultimi obtinendi tum etiam ratione ipsius iuris matrimonialis praecipui mulier viro *aequalis* est.

vitam coniugum beatioremque efficiant; idque pluribus causis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adiumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia coelesti, quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia quamdiu sint congruentia naturae Deique consiliis apte conveniant, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab eiusmodi autem coniugiis expectare civitates iure possunt genus et sobolem civium, qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti sui officii esse ducant iuste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, laedere neminem. — Hos fructus tantos ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiae, quae illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex."

2. Matrimonium est secundum *ius positivum*.

„Pudicitia coniugalis (i. e. legibus definitum coniugium) et ipsius actus et usus consonat legi *naturae* et legi *Scripturae* et legi *gratiae*.

Legi *naturae* consonat: Ratione ipsius *naturae conditae*, quae formata fuit in sexuum distinctione secundum illud (Gen. 1, 27): masculum et feminam creavit eos. Consonat etiam ratione *praeceptionis superadditae* adhuc lege naturae manente secundum illud (Gen. 1, 28): benedixit illis Deus et ait: crescite et multiplicamini et replete terram; quod quidem non fit legitime nisi per usum pudicitiae coniugalis. Consonat ratione *revelationis desuper datae*; nam Adam prophetice dixit post soporationem: hoc nunc os ex ossibus meis . . et erunt duo in carne una; hoc verbum dicitur Deus dixisse (Matth. 19, 4).

Consonat etiam legi *scriptae*: Ratione divini *promissi*, quia Dominus promisit Abrahae (Gen. 17, 4): eris pater multarum gentium etc. Ratione divini *miraculi* secundum illud (Gen. 21, 1): visitavit Dominus Saram . . . concepitque et peperit filium in senectute sua. Consonat etiam ratione divini *statuti* (Lev. 18); nam leges statuit Dominus secundum quas attenditur legitimitas in personis, quae contrahunt.

Consonat etiam legi *gratiae*: Primo quidem ratione *denuntiationis angelicae* secundum illud (Luc. 1, 13): Elisabeth pariet tibi

filium; hoc autem meruerat Zacharias per orationem devotam et per vitam sanctam in lege coniugii pudice servata. Secundo ratione *definitionis* dominicae, non solum per *factum*, quo nuptiis interfuit, sed etiam per *verbum*, quo sententialiter definivit (Matth. 19): quos Deus coniunxit homo non separet. Tertio etiam consonat ratione *eruditionis* apostolicae; nam Petrus et Paulus, principales ordinatores Ecclesiae, commendant et matrimonium et legem et fidem tori et solutionem debiti et amorem mutuum uxoris et viri.

Quoniam igitur coniugalis pudicitia approbatur et ore apostolico et verbo evangelico et ore angelico et ore divino, approbatur etiam a natura, quae est lex indita, et a Scriptura seu lege Mosaica et a lege evangelica: manifestum est, quod ipsa legi divinae consonat et secundum eam est approbanda." [1])

2. *Accessio soluti ad solutam* iure naturae *illicita* est.

Exstat propositio ab Innocentio XI Papa a. 1679 damnata: „Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur." Ergo saltem non est omnino a ratione dissonum, quod fornicatio secundum se malitiam aliquam involvere dicatur. Imo hanc ei inesse malitiam, atque adeo eam iure ipso naturae vetitam esse probatur.

1. Manifestum id est de *vago concubitu* plurium virorum cum una femina et plurium feminarum cum uno viro: nam in eo vel ipsa prolis procreatio impeditur vel infertur incertitudo prolis, nec alius est finis nisi sola sensualis voluptas, quam solam intendere ipsius rationis ordinationi repugnat, quippe quae in homine velit rationem principari, subesse sensum. [2])

2. Verum etiam *fornicatio simplex* iure naturae vetita est. „Absque omni dubio tenendum est, quod fornicatio simplex sit peccatum mortale. [3]) Ad huius autem evidentiam considerandum est, quod peccatum mortale est omne peccatum quod committitur directe contra vitam hominis, fornicatio autem simplex importat inordinationem, quae vergit in nocumentum vitae eius, qui est ex tali

---

[1]) S. Bonav. De perfect. evang. q. 3 a. 1.

[2]) Recentiores aliqui scriptores (Bachofen, Hellwald, Post, Achelis, Lamprecht) putaverunt, inde ab initio generis humani non matrimonium, sed promiscuitatem sexus seu hetaerismum viguisse. At immerito. Atque ipse Darwinismi fautor *Westermark* testatur: „The hypothesis of promiscuity has no real foundation and is essentially unscientific" (The history of human marriage). Cf. Schnürer in ‚Histor. Iahrbuch' 1897, 107 sq.

[3]) „Apud *gentiles* fornicatio simplex non reputabatur illicita *propter corruptionem naturalis rationis*" (S. Th. l. c. ad 1).

concubitu nasciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris et feminae, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam feminam unam vel plures: sicut patet in omnibus avibus; secus autem est in animalibus, in quibus sola femina sufficit ad educationem foetus, in quibus est vagus concubitus: ut patet in canibus et huiusmodi aliis animalibus. Manifestum est autem, quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instituendus et defendendus et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis est quod utatur vago concubitu; sed oportet quod sit maris ad determinatam feminam, cum qua permaneat non per modicum tempus, sed diu vel etiam per totam vitam; et inde est, quod naturaliter inest maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis: haec autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Haec autem determinatio certae feminae matrimonium vocatur; et ideo dicitur esse de iure naturali. Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt sub determinatione legis, consequens est, quod ista coniunctio maris ad feminam, quae matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur. Unde cum fornicatio sit concubitus vagus, utpote praeter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandae, et ideo est peccatum mortale. Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione: quia id quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere.“ [1])

COROLLARIUM **1.** Cum *fornicatio* iure naturae sit vetita, ita ut secundum se sit peccatum mortale, etiam quidquid ex *affectu* pravo ad eam agitur, quantumvis secundum speciem indifferens sit, ut oscula et tactus, graviter prohibitum esse existimandum est. „Cum fornicatio sit peccatum mortale, consequens est, quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, et non solum consensus in actum: et ideo cum oscula et amplexus huiusmodi propter delectationem huiusmodi fiant (id quod utique non in

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 154 a. 2. — Neque dicatur eandem esse inordinationem concubitus quae est ciborum, hanc autem non includere tantam malitiam, ut semper peccatum mortale censenda sit esse. Nam ratio utriusque diversa est. „Ex uno concubitu potest unus homo generari: et ideo inordinatio concubitus, quae impedit bonum prolis nasciturae, ex ipso genere actus est peccatum mortale, et non solum ex inordinatione concupiscentiae; ex una autem comestione non impeditur bonum totius vitae unius hominis: et ideo gulae actus ex suo genere non est peccatum mortale; esset tamen, si quis scienter cibum comederet, qui totam conditionem vitae eius immutaret, sicut patet de Adam“ (S. Th. l. c. ad 6).

omnibus eiusmodi actibus locum habet), consequens est, quod sint peccata mortalia."[1]) Unde damnata est ab Alexandro VII propositio asserens, probabilem esse sententiam osculum libidinosum non esse nisi veniale peccatum.

2. „Usus pudicitiae *coniugalis* dupliciter potest fieri: aut secundum quod quis habet oculum ad *officium* procreandi prolem ad cultum Dei, et sic est actus virtutis purae ratione radicis, ratione modi et ratione finis; aut secundum quod habet oculum ad *remedium* etiam, ut incontinentiae vitium devitetur, et sic est actus virtutis quam comitatur infirmitas carnis. Si quis vero habeat oculum ad *morbum*, hoc est ad concupiscentiam satiandam, aut aliquo modo respicit remedium vel officium, et tunc est non actus virtutis, sed vitium veniale, quia excusatur per matrimonii sacramentum; aut nullo modo habet oculum nisi ad satiandum concupiscentiae appetitum, quo tanto impetu fertur, quod etiam, si non esset uxor, cognosceret eam, et tunc, quia actus ille pervertit matrimonii legem, non est actus pudicitiae consonans, sed repugnans."[2])

Unde manifestum est, in ipso usu matrimonii nunquam licere eius finem primarium *positive* excludere seu frustrari. Quocirca propositio: „ob rationes honestas coniugibus uti licet matrimonio eo modo quo usus est Onan", declarata est a S. Congregatione Inquisitionis (21 maii 1851): „scandalosa, erronea, et iuri naturali matrimonii contraria"; et altera: „probabile est istum matrimonii usum non esse prohibitum de iure naturali": „scandalosa, erronea, et alias implicite damnata ab Innocentio XI prop. 49" (qua dicitur: „mollities iure naturali prohibita non est").

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 154 a. 4.

[2]) S. Bonav. De perf. evang. q. 3 a. 1. — Aequo severius dixeris esse *S. Augustini* iudicium aientis (Enchir. c. 78; cf. De pecc. orig. 38; De bono coniugio): „Quis misceri coniugi esse peccatum neget, non ob filios procreandos, sed ob vitandam incontinentiam, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritate fateatur." Augustini argumentum nititur voce „veniae", quam ipse remissionem aliquam interpretatur, cum tamen etiam rei licitae aequam concessionem (cf. Eccli. 3, 15) vel permissionem rei minus bonae significare possit, atque hic significat. Qua in re rectius sensisse videtur *S. Ioannes Chrysostomus* (De virgin. c. 19) haec scribens: „Cum liberorum procreandorum causa proditum matrimonium est, tum multo magis ad naturae ardorem restinguendum. Atque id Paulus testatur dicens: «sed propter fornicationem suam quisque uxorem habeat», non propter liberorum procreationem. Namque ubi convenire iubet, non ut multorum filiorum parentes fiant, sed cur? «Ne vos tentet, inquit, satanas». Ac progressus non dixit, si optant liberos, sed quid? «Qui se non continent», matrimonium contrahant. Principio enim duplicem hanc occasionem habebat, sed deinde terra, mari atque orbe omni repleto unus dumtaxat praetextus est reliquus nequitiae ac libidinis abolitio." Qui secus opinantur, eos Chrysostomus „orbis curatores" appellat.

Thesis 3.

Matrimonii contrahendi 1. nullum est singulis praeceptum; imo 2. matrimonio praestantior est status virginitatis.

Matrimonium eiusque usum honestum esse probavimus; ostendimus praeterea aliquam eius esse necessitatem, sc. eam, ut ipso naturae iure aliud non sit medium, quo genus humanum propagari liceat. Verum ex his videbuntur fortasse posse deduci et a nonnullis deducta sunt, quae et matrimonii bonitatem et eius necessitatem nimis exaggerent. Quod ut caveatur, duo tenenda asserimus: sc. matrimonii necessitatem ita tueri oportet, ut matrimonium inire iure naturae singulis hominibus dicatur esse integrum; matrimonium porro ita est bonum, ut virginitas tamen sit melior.

DEMONSTRATUR: **1.** *Nullum* est *praeceptum,* quo singuli homines ad matrimonium contrahendum adigantur.

Concedendum quidem est, protoparentibus nostris *praeceptum* fuisse coniugium, Deo ipso eos coniungente; at negandum est, ullum esse praeceptum sive naturale sive positivum divinum, quo reliqui homines ad matrimonium ineundum adigantur.

1. *Negative* probatur, quatenus argumenta opposita refutantur.

Arguunt ita: „Sicut praeceptum legis naturae ad conservationem individui est, quod tangitur Gen. 2, 16: «de omni ligno, quod est in paradiso, comede», ita etiam praeceptum legis naturae est ad conservationem speciei, quod ponitur Gen. 1, 28: «crescite et multiplicamini et replete terram». Ergo sicut peccaret qui abstineret ab omni cibo, utpote faciens contra bonum individui, ita etiam peccat qui omnino abstinet ab actu generationis, utpote faciens contra bonum speciei.“ [1])

Respondetur: a. „Dupliciter aliquid est debitum. Uno modo, ut impleatur ab uno; et hoc debitum sine peccato praeteriri non potest. Aliud autem est debitum implendum a multitudine; et ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine: multa enim sunt multitudini necessaria, ad quae implenda unus non sufficit; sed implentur a multitudine, dum unus hoc, alius illud facit. Praeceptum igitur legis naturae homini datum de comestione necesse est quod ab unoquoque impleatur: aliter enim individuum conservari non posset. Sed praeceptum datum de generatione respicit *totam multitudinem hominum,* cui necessarium est, non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat: et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent, quidam vero ab hac abstinentes contemplationi

[1]) S. Th. 2, 2 q. 152 a. 2.

divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem: sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant; quae tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt." [1])

b. Imo neque *communitati* ipsi praeceptum proprie dictum videtur esse impositum prolis procreandae. Nam praeterquam quod de officio agitur, quod nequit a communitate ut tali impleri cuiusque proinde obligatio nequit imponi ipsi communitati ut tali: ut obtineatur propagatio generis humani opus non est praecepto. Quamvis enim propagatio generis humani continua dicatur ipsa natura exigi quod tamen non est manifestum, et quamvis natura ipsa dictante propagatio illa nequeat haberi absque matrimonio: nihilominus cum tanta sit in plerisque hominum ab auctore ipso naturae indita ad nuptias propensio tantaque earum ineundarum facilitas, illum finem, quin ulla admittatur matrimonii in hominibus obligatio, naturae auctor, quousque ipse voluerit, infallibiliter aeque ac suaviter consequetur. — Ioviniano obiicienti, si omnes virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum, Hieronymus respondet: „Noli metuere, ne omnes virgines fiant; difficilis res est virginitas, et ideo rara" [2]); et Augustinus: „Utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in caritate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta: multo citius Dei civitas compleretur et accelerаretur terminus saeculi." [3])

c. Verba vero Dei: „Crescite et multiplicamini et replete terram", dicta protoparentibus una cum divina benedictione intentionem exhibent *finis*, quem Deus voluit obtineri, neque habent vim praecepti, nisi inquantum absque tali praecepto finis intentus obtineri non poterat; id quod solum in ipsis protoparentibus locum habebat et fortasse etiam in filiis eorum. Probatur hoc ex immediate sequentibus: „et subiicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus, quae moventur super terram"; quae verba eadem ratione dicta sunt ac illa alia, sed praeceptum exprimere nemo dixerit.

2. *Positive* probatur: „Habet hoc recta ratio, ut his quae sunt ad finem utatur aliquis secundum eam mensuram, quae congruit fini. Est autem triplex hominis bonum: unum quidem, quod consistit in exterioribus rebus, puta divitiis, aliud autem, quod consistit in bonis corporis, tertium autem, quod consistit in bonis animae, inter quae etiam bona contemplativae vitae sunt potiora bonis vitae activae, ut Philosophus probat (10 Eth. c. 7), et Dominus dicit (Luc. 10):

[1]) S. Th. l. c.
[2]) Hieronym. C. Iovin. 1, 36.
[3]) Augustin. De bono coniug. 10.

Maria optimam partem elegit. Quorum bonorum exteriora quidem ordinantur ad ea quae sunt corporis; ea vero quae sunt corporis, ad ea quae sunt animae; et ulterius ea quae sunt vitae activae, ad ea quae sunt vitae contemplativae. Pertinet igitur ad rectitudinem rationis, ut aliquis utatur exterioribus bonis secundum eam mensuram, quae competit corpori; et similiter de aliis. Unde si quis abstineat ab aliquibus possidendis, quae alias esset bonum possidere, ut consulat saluti corporali, vel etiam contemplationi veritatis, non esset hoc vitiosum, sed secundum rationem rectam; et similiter si quis abstinet a delectationibus corporalibus, ut liberius vacet contemplationi veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis. Ad hoc autem pia virginitas ab omni delectatione venerea abstinet, ut liberius divinae contemplationi vacet; dicit enim Apostolus (1 Cor. 7): Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu; quae autem nupta est, cogitat quae mundi sunt et quomodo placeat viro." [1])

2. *Status virginitatis* matrimonio *praestantior* est.

Quod ut rite intelligatur, haec animadvertenda sunt. Definitur virginitas „in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio" [2]). Distinguitur in virginitate: integritas corporis, immunitas a delectatione venerea, propositum se perpetuo abstinendi a tali delectatione; primum ad virginitatem se habet per accidens atque amitti potest etiam ab invito, ita ut meritum virtutis maneat, alterum virginitatis est elementum veluti materiale, tertium formale. [3]) Iam vero, cum dicitur virginitas matrimonio esse praestantior, a. intelligitur matrimonium inquantum per carnalem commixtionem exercetur, virginitas vero ea, qua quis alienus a nuptiis vitam ex animo ducere statuit exemptam a carnis voluptatibus; b. comparatio instituitur inter statum et statum, non vero inter personas, quae in his statibus versantur; c. praestantia non intelligitur quaelibet, sed ea quae est ratione perfectionis moralis per alterutrum statum obtinendae.

Quod asserimus a Concilio Tridentino (Sess. 24 c. 10) est *definitum:* „Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu quam iungi matrimonio: a. s."

1. Probatur *ratione.* „Tum quia bonum divinum est potius humano bono; tum quia bonum animae praefertur bono corporis; tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae: virginitas autem ordinatur ad bonum animae secundum vitam con-

---

[1]) S. Th. l. c.

[2]) Augustin. De sancta virginit. 12.

[3]) Cf. S. Th. 1, 2 q. 151.

templativam, quod est cogitare ea quae sunt Dei; coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani, et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quae sunt mundi." [1])

2. Probatur „*exemplo Christi,* qui et matrem virginem elegit et ipse virginitatem servavit" [2]); et *verbis Christi:* „Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est . . . sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum: qui potest capere capiat" (Matth. 19, 11 sq.).

3. Probatur *doctrina Apostoli.* Docet enim Apostolus (1 Cor. 7) a. de *matrimonii* usu loquens: „bonum (καλόν) [3]) est mulierem non tangere" (v. 1); „volo omnes esse sicut me ipsum", i. e. coelibes [4]) (v. 7); „dico non nuptis et viduis, bonum (syr. satius) est illis, si sic permaneant sicut et ego" (v. 8); b. de *coelibatu* disserens: „qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, et qui non iungit melius facit" (v. 38); „qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est, et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu" (v. 33, 34); „beatior erit (vidua), si sic permanserit secundum meum consilium" (v. 40). Iam vero his omnibus ab Apostolo comparatione instituta inter matrimonium et virginitatem ratione bonitatis moralis virginitas matrimonio asseritur esse excellentior et laudabilior.

Nec *opponatur,* eundem Apostolum hoc capite monere: „unusquisque suam uxorem habeat" (v. 2). Nam a. si id intelligatur de praecepto matrimonii omnibus imposito, ipse Apostolus sibi contradicere dicendus est; b. non agitur his verbis de contrahendo matrimonio, sed de usu matrimonii, quod contractum supponitur; sc. ἔχειν γυναῖκα in Scriptura significat: uti muliere vel uxore (cf. 1 Cor. 5, 1); c. diserte addit Apostolus: „hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium"; d. „hoc ideo dicit Apostolus, ut fornicationem (διὰ τῆς πορνείας) excludat, non ut ad meliorem vitam tendentibus viam claudat" (Glossa). — Videlicet: „si quid bonum

---

[1]) S. Th. 2, 2 q. 152 a. 4; cf. C. gent. 3, 136.

[2]) S. Th. 2, 2 q. 152 a. 4.

[3]) Immerito Erasmus hoc „bonum" interpretatur „commodum"; nam ut ex sequentibus liquet, Apostolus loquitur de bono honesto quod ad pietatem et salutem conferat.

Haud immerito autem nonnulli ipsum hoc „bonum" comparative exponunt, ita ut idem sit ac „melius", idque tum ex contextu tum ex more loquendi Hebraeorum (cf. Ps. 117).

[4]) Ex his verbis Patres colligunt, *Apostolum* in perpetua castitate vixisse.

sit et valde excellens quaeris, melius est cum muliere nullam habere consuetudinem; si quaeris quid tutum sit et infirmitatem tuam iuvet, utere matrimonio.“ [1])

Neque *obstat*, quod idem Apostolus scribit (1 Tim. 5, 14): „Volo iuniores (i. e. viduas) nubere“. Nam etiam hoc secundum indulgentiam dictum est, non secundum imperium; quatenus omnibus circumstantiis consideratis iunioribus feminis, maxime viduis, Apostolus magis censebat expedire ut nuberent, ut sc. sub matrimonii iugum redactae et coniugalibus officiis implicatae libertatem non haberent ea perpetrandi, quae adversariis de religione christiana sinistre loquendi ansam praebere poterant.

4. Probatur sensu *Ecclesiae* et *Patrum*. Notum est, Ecclesiam semper habuisse virgines portionem gregis sibi commissi nobilissimam. Ex Patribus audiatur Augustinus: „Cum ipsa universa Ecclesia virgo sit desponsata cum viro Christo, sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra eius, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne quod tota Ecclesia custodit in fide, quae imitatur matrem viri sui et domini sui? Nam Ecclesia quoque et mater et virgo est. Cuius enim integritati consulimus, si virgo non est? Aut cuius prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit. In utraque virginitas fecunditatem non impedit, in utraque fecunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo, sed spiritu: quanto sanctior est in his membris, ubi virgo est corpore et spiritu?“ [2]) Quibus verbis etiam ratio aliqua eaque nobilissima significatur, cur Deus in sua Ecclesia voluerit esse virgines.

SCHOLION. Ad illud quod habet Augustinus: „non impar meritum est continentiae in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit“ [3]), sic respondet S. Thomas: „Meritum non solum pensatur ex genere actus, sed magis ex animo operantis: habuit autem animum Abraham sic dispositum, ut paratus esset virginitatem servare, si esset tempori congruum: ex quo meritum continentiae coniugalis in ipso aequatur merito continentiae virginalis in Ioanne respectu praemii substantialis, non autem respectu praemii accidentalis“ [4]).

Cur vero ex praestantia hac status virginitatis prae matrimonio nequeat inferri omnium virginum prae coniugatis excellentia, sic ostendit idem Angeli-

---

1) Chrysost. in h. l.

2) Augustin. De sancta virginit. 2. Cf. praeterea Hieronym. C. Iovinian., Ambros. De virginit., Method. Conviv. decem virginum; qui toti sunt in virginitate summis laudibus extollenda.

3) Augustin. De bono coniug. 21.

4) S. Th. l. c. ad 1.

cus: „Licet virginitas sit melior quam continentia coniugalis, potest tamen coniugatus melior esse quam virgo, duplici ratione. Primo quidem ex parte ipsius castitatis, si scilicet ille, qui est coniugatus, habeat animum magis paratum ad virginitatem servandam, si oporteret, quam ille qui est actu virgo; unde Augustinus instruit virginem, ut dicat: «Ego non sum melior quam Abraham, sed melior est castitas coelibum, quam castitas nuptiarum»; et rationem postea subdit, dicens: «Quod enim nunc ago, melius ille egisset, si tunc agendum esset; quod autem illi egerunt, sic ego non agerem, etiam si nunc agendum esset». Secundo, quia forte ille qui non est virgo, habet aliquam excellentiorem virtutem; unde Augustinus dicit: «Unde scit virgo, quamvis sollicita, quae sunt Domini, ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio, illa vero mulier, cui se praeferre gestiebat, iam possit bibere calicem dominicae passionis?»" [1])

Caput II.

De matrimonio ut est sacramentum.

Matrimonium *omne* res *sacra* est, imo sensu aliquo sacramentum i. e. rei sacrae signum. „Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III et Honorius III, decessores nostri, non iniuria nec temere affirmare potuerunt, «apud fideles et infideles existere sacramentum coniugii». Testamur et monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine ceremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. Ita magnam in animis coelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani." (Leo XIII, Encycl. ‚Arcanum'.)

Attamen *christianorum* matrimonium res est multo sanctior; imo *sacramentum* est sensu maxime proprio, sc. signum gratiae sanctificantis efficax. [2]) Atque de hac sacramenti ratione iam necesse est

---

[1]) S. Th. l. c. ad 2.

[2]) *Launoyus* (De reg. in matrim. potest. 1 a. 2 c. 11), ut ostendat matrimonium, quamvis sit sacramentum, posse tamen civili potestati subiici,

ut tractetur. Probabitur itaque sacramenti matrimonii veritas [th. 4]; deinde quaeretur tum de nexu rationis sacramenti et contractus [th. 5], tum de sacramenti huius ministris [th. 6].

Thesis 4.

Matrimonium christianum sacramentum est proprie dictum.

„Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae «sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt» (Conc. Trid.), nimirum: Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium; simulque effecisse, ut coniuges coelesti gratia quam merita eius pepererunt septi ac muniti sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur, atque in eo ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato et amorem, qui est naturae consentaneus, perfecisse et viri ac mulieris individuam suam natura societatem divinae caritatis vinculo validius coniunxisse.“ (Leo XIII, Encycl. ‚Arcanum‘.)

Thesis est *de fide*, contra Reformatores[1]) definita a Concilio Tridentino (Sess. 24 c. 1): „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus inventum, neque gratiam conferre: a. s.“

DEMONSTRATUR: Matrimonium christianorum *sacramentum* est.

1. In *Scriptura* quamvis, si per se spectetur, non clare doceatur matrimonium sacramentum esse, tamen hoc idem teste Concilio Tridentino „innuitur“.

„Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua . . . sicut Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, de carne eius et ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. *Sacramentum hoc magnum est;* ego autem dico *in Christo et in Ecclesia* (εἰς Χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν).“ (Eph. 5, 28 sq.)

---

etiam in *V. T.* matrimonium *proprii* nominis sacramentum fuisse affirmat. Verum haec et Eugenii IV decreto pro Armenis adversantur, ubi docemur sacramenta legis mosaicae non produxisse gratiam, et Concilio Tridentino (Sess. 24), quo ideo inter Novae Legis sacramenta matrimonium iure annumerandum esse dicitur, quia „in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet“.

[1]) Notum est illud *Lutheri* (Vom ehelichen Leben): „Die Ehe ist ein äusserlich leiblich Ding, wie andere weltliche Hanthirung etc.“ *Calvinus* (Instit. 4, 79) matrimonium a Deo institutum esse admittit, sed non alio modo nec proinde magis sacramentum esse, quam „agriculturam et artem sutoriam“.

Iam vero his verbis Apostoli significatur, a. matrimonium christianorum esse *signum rei sacrae,* b. coniunctum cum *gratia,* c. imo gratiae *productivum.* Atqui huiusmodi signum sacramentum est.

a. Secundum Apostolum „hoc", i. e. vel Christi cum Ecclesia unio, inquantum ea viri et mulieris unione significatur, vel illud quod immediate praecedit, sc. „relinquet homo patrem . . . erunt duo in carne una", seu ipsa unio maritalis, inquantum Christi et Ecclesiae coniugium repraesentat, est „sacramentum" (μυστήριον), i. e. symbolum rei sacrae, imo sacramentum „magnum", quia sc. signum rei sacratissimae.

b. Apostolus provocans ad verba Dei „propter hoc relinquet" (Gen. 2, 24; cf. Matth. 19, 5) significat, et a Christo matrimonium ad summam revocatum esse unitatem et indissolubilitatem et a Deo ipso matrimonium assumptum esse in symbolum illud sacrum, ita ut ratione huius repraesentationis sanctum sit; praeterea coniugum, ut ad normam dilectionis Christi et Ecclesiae sit, dilectionem exigi supernaturalem: unde ex ipsa sua significatione matrimonium dicendum est annexum habere principium permanens dilectionis illius supernaturalis; cuiusmodi principium permanens gratia sanctificans est.

c. Ex dictis constat, matrimonium, cum fit, ex divina institutione gratiam sibi annexam significare; at vero ritus a Deo instituti ad significandam gratiam hominibus conferendam in N. T. eiusdem gratiae efficaces sunt. Cf. Catech. Rom. De matrim.

2. Ex *Traditione* probatur.

1. Ex antiquitate *absoluta.*

Usque ad aevum Apostolicum exstant testimonia, quibus docetur, matrimonium christianorum *iniri Deo auctore, a Christo fuisse sanctificatum, rem esse sacram, esse coniunctum cum gratia et sanctificatione,* et esse eiusdem rationis ac *sacramenta* alia proprii nominis.

a. Libri *rituales* sive *sacramentalia.* In sacramentario Gelasiano, quod ex sacramentario S. Leonis dicunt derivatum, in ritu nuptiali oratur Deus, ut „supra coniuges opem suae benedictionis infundat, ut in iugali consortio affectu compari, mente consimili, sanctitate mutua copulentur, ut mulier nubat in Christo".

b. *Patres* etiam antiquissimi idem testantur.

Ignatius M.: „Decet ut sponsi et sponsae de sententia episcopi coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum carnem." [1])

Tertullianus: „Matrimonium Ecclesia conciliat, confirmat oblatio et obsignat benedictio et obsignatum angeli renuntiant et Pater

[1]) Ign. Polyc. 5.

ratum habet." [1]) Idem: „Si ergo ratum est apud Deum matrimonium huiusmodi, cur non et prospere cedat, ut pressuris et angustiis et impedimentis et inquinamentis non ita lacessatur habens iam ex parte divinae gratiae patrocinium." [2])

Cyrillus Alex.: „(Christus) ipse cum discipulis suis invitatus venit ad nuptias, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret ac praeterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim ut, qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis qui iam in ortum vocati erant benedictionem impertiretur (per baptismum scilicet), sed et iis quoque qui postea nascituri essent gratiam praestitueret et eorum ortum sanctum efficeret." [3])

Augustinus dicit esse christianorum „sacramentum nuptiarum, cuius res est, ut mas et femina connubio copulati inseparabiliter perseverent"; „ita manere inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre, sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit" [4]). Idem Augustinus: „Bonum nuptiarum, quod ad populum Dei pertinet, est etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedere . . . Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non sequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini non carebit." [5]) Idem denique: „In christianorum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti quam fecunditas uteri." [6]) — Itaque Augustinus matrimonium christianorum „sacramentum" dicit esse prae omnibus aliis matrimoniis, indeque speciali modo et sanctum et indissolubile; connumerat illud praeterea cum sacramentis baptismi et ordinis.

Obiicitur: Cur Patres a. contra Gnosticos et Manichaeos matrimonium reiicientes, b. contra fidelium cum infidelibus nuptias, non ad sacramenti dignitatem provocaverunt? Cur c. Iovinianus, ut matrimonium prae virginitate extolleret, non attulit illam argumentum?

Resp.: a. Contra illos haereticos, „non tam concubitum quam nuptias detestantes" [7]) ac negantes quae iuris sunt naturalis, satis

---

[1]) Tertull. Ad uxor. 2, 9.
[2]) Tertull. Ad uxor. 2, 7.
[3]) Cyrill. Alex. In Ioan. 2.
[4]) Augustin. De nupt. et concup. 10.
[5]) Augustin. De bono coniug. 24.
[6]) Augustin. l. c. 18.
[7]) Augustin. C. Secundinum Manich. c. 22.

erat ostendere prolis procreationem et honestam esse et praecipuum matrimonii finem.

b. Neque ad nuptias fidelium cum infidelibus improbandas necesse erat ad sacramenti dignitatem provocare, cum dignitate hac nuptiae illae per se non prohibeantur.

c. Iovinianus nec ad poenitentiae sacramentum provocat, quamvis poenitentes innocentibus aequipararet. Comparabat videlicet non tam dignitatem status utriusque, sed merita; ad quam comparationem instituendam per se sacramenti dignitas minime refert.

2. Ex antiquitate *relativa.*

Cum saeculo 16 matrimonium sacramentum esse coeptum est negari, utriusque Ecclesiae iam ex longo tempore illud admittentis plenus erat consensus. Atqui huiusmodi in doctrinam aliquam Ecclesiae consensus argumentum est, doctrinam illam originis esse Apostolicae atque adeo divinitus revelatam.

a. Ad saeculum 12 huius rei *diserta* utriusque Ecclesiae pertingit praedicatio.

In Ecclesia *Latina* iam ante Concilium Tridentinum exstant testimonia *Conciliorum* Florentini 1440 (Decr. pro Armenis), Lugdunensis II 1274 (Profess. fidei Mich. Palaeologi), Veronensis 1181 (Ad abolendam, de haereticis); *theologorum* omnium inde ab Hugone Victorino 1140; *episcoporum* saeculi 12 Ottonis Bambergensis, Radulphi Ardentis, Hildeberti Turonensis; *ritualium* denique omnium.

In Ecclesia *Orientali* exstat *Syrorum* Nestorianorum fidem probans testimonium Sulakae Patriarchae 1553, *Iacobitarum* et *Coptorum* testimonium Simonis Assemani 1719, *Armeniorum* testimonium Vartani saec. 12, *Graecorum* professio edita contra Cyrillum Lucarim 1635 et contra confessionem Augustanam 1594.

b. Cum Ecclesia Graeca a Latina divisa esset iam inde a saeculo 9, imo illae aliae sectae Orientales inde a saeculo 5, neque ecclesiae hae divulsae doctrinam de matrimonio sacramento ab Ecclesia Latina, quam maximo semper prosequebantur odio, dici possint recepisse: matrimonium sacramentum creditum fuisse manifestum est saltem inde a saeculo 5.

c. Quae cum ita sint, nec ipsa re in se spectata vel theologice vel iuridice fieri poterat nec Protestantibus ipsis fatentibus factum est, ut nova aliqua huiusmodi ad essentiam spectans religionis christianae doctrina introduceretur. Ergo inde ab Apostolis matrimonium sacramentum esse credebatur.

COROLLARIUM. Inde, quod matrimonium ad sacramenti dignitatem est elevatum, excelsior quoque *finis* societati nuptiali propositus est. „Primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea

fuisset; ea enim spectare iussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, cives sanctorum et domesticos Dei; ut nimirum populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur. — Secundo loco sua utrique coniugum sunt officia definita, sua iura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, sollers assiduumque praesidium alteri alterum debere intelligant. Vir est familiae princeps et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii. Nam «vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae . . . Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus». — Ad liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est: «Patres . . . educate illos (filios) in disciplina et correptione Domini». Ex quo intelligitur, nec pauca esse coniugum officia neque levia; ea tamen coniugibus bonis, ob virtutem quae sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam iucunda." (Leo XIII, Encycl. ‚Arcanum.')

SCHOLION **1.** „Etiam in hoc sacramento sunt illa tria, sacramentum tantum, res tantum sacramenti, sacramentum et res: quia *sacramentum tantum* sunt actus exterius apparentes, *res et sacramentum* est obligatio, quae innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus, *res* ultima contenta est effectus huius sacramenti (sc. gratia), non contenta (quamvis significata) est unio Christi ad Ecclesiam." [1])

2. Matrimonium cum sacramentum sit, necesse est ut conferat *gratiam*. Quod Durandus negavit, sed postea concessit. — Quid ergo sibi vult Magister, cum quamvis matrimonium inter sacramenta N. L. ponens dicit, sacramentorum „alia remedium contra peccatum praebere et gratiam adiutricem conferre, ut baptismum, alia *in remedium tantum* esse, ut coniugium"? Audiatur S. Thomas Magistrum explicans: „Unumquodque denominatur ab eo quod est. Gratia autem, quae in matrimonio confertur, secundum quod est sacramentum Ecclesiae in fide Christi celebratum, ordinatur directe ad reprimendam concupiscentiam, quae concernit actum matrimonii; et ideo Magister dicit, quod matrimonium est tantum in remedium; sed hoc est per gratiam, quae in eo confertur." [2]) — Cum vero ipse S. Thomas „*probabilius*" dicit conferri matrimonio gratiam adiuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur, hoc non ipsa de gratia, sed de genere gratiae determinato dicit.

Quomodo vero gratia huius sacramenti in *remedium* sit contra concupiscentiae inordinationem, sic explicat S. Bonaventura: „Concupiscentia inclinat ad multas, quia luxuriosus non est una contentus, et in matrimonio datur

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 42 a. 1 ad 5.

[2]) S. Th. 4 dist. 2 q. 1 a. 1.

gratia homini, ut soli uxori velit coniungi, et ita pronitas ad multas excluditur per copulam singularem. Concupiscentia etiam inclinat ad delectationem, non ad utilitatem: quia luxuriosus non quaerit nisi satisfacere appetitui; et in matrimonio datur gratia, ut non cognoscat uxorem nisi propter prolem, et ita excluditur per copulam utilem. Item concupiscentia fastidium generat post impletionem: unde luxuriosus, postquam cognovit unam, illam respuit et vadit ad aliam; in matrimonio vero datur gratia, ut semper velit esse cum una: et ita excluditur per copulam inseparabilem." [1])

Thesis 5.

In matrimonio christiano una eademque res est contractus et sacramentum.

Matrimonii contractus esse potest, imo et ante Christum fuit et etiam nunc est apud infideles, quin sit sacramentum: quamobrem in omni matrimonio contractum et sacramentum ratione distingui et posse et debere patet. At sacramentum est matrimonium christianum. Iam vero quaeritur, cuiusmodi sit in christiano matrimonio contractus et sacramenti distinctio. Erant qui utrumque distingui vellent, quemadmodum distinguitur *res a re,* imo ita ut etiam in christianis verus esse possit contractus matrimonialis sine sacramento. Inter quos sunt imprimis *de Dominis, Launoyus, A. Theiner, Nuytz,* qui contractum et sacramentum ita separant, ut sacramentum in sola benedictione sacerdotis ponant, contractum potestati civili subiicientes; et praeterea ex theologis *Hurtado, Amicus, Billuart, Gonnet, Holzklau,* qui putaverunt, posse aliquando etiam christianorum matrimonium esse verum matrimonium, quod non sit sacramentum, si videlicet matrimonium contrahatur cum seria intentione contrahendi et sacramentum excludendi.

Doctrina contra inter catholicos theologos *communis* est, in matrimonio christiano contractum et sacramentum non solum vere non posse separari unquam, sed non esse nisi *unius eiusdemque rei* duas formalitates, ideoque sola distingui *ratione;* simili fere modo, quo aqua a se ipsa distinguitur, quando frigore glacies facta est. — Thesis, si minus definita, est tamen theologice *certa.* [2])

DEMONSTRATUR: In matrimonio christiano contractus et sacramentum est *una eademque res.*

1. *Colligitur* ex Concilio Florentino et Tridentino.

Concilium *Florentinum,* ubi de sacramentis loquitur, docet (Decr. pro Armenis): „Causa efficiens matrimonii regulariter [3]) est mutuus

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 26 a. 2 q. 2.

[2]) Imo Instructione S. Congreg. Off. 6 iul. 1817 *haeresis* dicitur esse „sacramentum matrimonii a matrimonii contractu per modum regulae et absolute seiungere."

[3]) Illud ‚regulariter' referendum est ad ‚verba'; potest enim aliis quoque signis consensus exprimi.

consensus per verba de praesenti expressus". Atqui consensu mutuo efficitur contractus matrimonialis. Ergo ipse contractus est sacramentum.

Concilium *Tridentinum* statuit (Sess. 24): a. matrimonium esse sacramentum illudque in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestare, ergo ipsum contractum matrimonialem esse sacramentum; b. matrimonia clandestina esse rata et vera matrimonia, quamdiu ab Ecclesia irrita non sint facta, ideoque cum matrimonium ratum et sacramentum in usu loquendi Ecclesiae sit idem, illa matrimonia etiam sacramenti rationem habere.

2. *Diserte* idem statuitur a Romanis Pontificibus.

Pius VI (ad episc. Motul.): „Contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis."

Pius IX (in litteris ad Victorem Emmanuelem 19 sept. 1852, in alloc. 27 sept. 1852, in damnatione operum Nuytz): „Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse." — Idem Pius IX *Syllabo* has propositiones damnavit: „Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est" (prop. 66). „Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur" (prop. 73).

Leo XIII denique rem ita explicat et probat (Encycl. ‚Arcanum'): „Exploratum est, in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem, atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo factus sit iure. Huc accedit quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia; istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur quodque aliud nihil est nisi ipsum

matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum, nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramenti decus quoddam adiunctum aut proprietatem illapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat.“

— *Ratio* vero interna cur deficiente sacramento in christianis contractus matrimonialis, quamvis omnia physice ponantur quae ad eum efficiendum requiruntur, possit esse nullus, inde repetenda est, quod ille contractus est actio moralis moralem gignens effectum, sc. ius mutuum atque officium, atque ideo physice haberi potest, quin effectum suum proprium sortiatur. Est igitur in christianis quaedam a Deo ipso profecta irritatio consensus, ne sc. hic sit efficax, nisi sit etiam sacramentum.

COROLLARIUM **1.** Matrimonium *infidelium*, quando *ambo* baptizantur, contra Vasquez aliosque communiter dicunt evadere sacramentum. Et sane: matrimonium baptizatorum est sacramentum; atqui baptismo suscepto matrimonium praecedens ac perseverans est matrimonium baptizatorum; ergo per baptismi susceptionem fit sacramentum. Neque necessarium videtur, ut coniuges conversi expresse renovent consensum; quemadmodum opinantur Bellarminus aliique. Nam consensus olim factus ac perseverans in ipso baptismo matrimonialis reddi dici poterit.

Quodsi contra ex coniugibus infidelibus *alteruter* solus convertatur, prius matrimonium non videtur fieri sacramentum; id quod inde concluditur, quod quamvis consummatum fuerit, adhuc solvi posse creditur.

Quid vero de matrimonio inter *fidelem et infidelem*, si impedimentum disparitatis cultus sit sublatum? Alii volunt (Vasquez, Sanchez, Billot), huiusmodi matrimonium, quamvis validum sit, non esse tamen sacramentum; quia sc. ipse contractus cum sit sacramentum, quemadmodum contractus nequit esse ex altera parte validus, ex altera invalidus, quoniam „matrimonium non claudicat“, sic, aiunt, etiam sacramentum vel est ex parte utraque vel ex neutra, in hypothesi igitur nostra, cum sacramentum nequeat esse ex parte utraque, ex neutra parte esse videtur. Alii contra (Tournely, Perrone, Palmieri) saltem probabile esse censent, matrimonium illud in parte fideli esse sacramentum; unus est enim, uti arguunt, contractus qui causa est gratiae, gratiam efficiens in eo qui gratiae est capax: iam vero non repugnat, quod alter gratiam accipiat, non vero alter; durum porro videtur esse, coniugem fidelem in hoc casu gratia sacramentali carere debere, nec satis, si matrimonium hoc sacramentum non sit, intelligetur, illud, uti ab Ecclesia habetur, omnino indissolubile esse.

2. Ex ipsa illa matrimonii christiani sanctitate intima prorsus atque essentiali hucusque probata facile perspicitur, quantopere matrimonia *mixta*, quippe quae perfectam illam, quam matrimonium continere debet, similitudinem cum unione inter Christum et Ecclesiam minime prae se ferant, et in quibus coniux acatholicus quamvis, baptizatus cum sit, sacramentum suscipere possit, hoc tamen non agnoscat, a perfecta christiani matrimonii ratione

dissideant. De his porro mixtis coniugiis valent quae monet Leo XIII (Encycl. ‚Arcanum'): „Cavendum est, ne coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine. Animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera concordes. Quin imo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant sublato veri falsique discrimine." [1])

3. Ex iis, quae hac thesi probata sunt, sponte sequitur, quod iudicium ferri debeat de christianorum matrimonio quod dicunt *civile*. Matrimonium civile est illud, quod mere iuxta leges civiles coram magistratu civili contrahitur, indeque, quin ulla Ecclesiae actio intercedat, omnem valorem accipit. Quid vero de tali coniunctione sentiendum sit, sic breviter declarat Leo Papa XIII: „Omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter christifideles citra sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti matrimonii carere, et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse quam ritum aut morem iure civili introductum, iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, existat." (Encycl. ‚Arcanum'.) [2])

Thesis 6.

Sacramenti matrimonii ministri sunt ipsi contrahentes, materia et forma est contractus exterius expressus.

Melchior Canus asserit ac probare nititur, ministrum sacramenti matrimonii esse *sacerdotem*, atque ideo eius formam verba esse a sacerdote ad sponsos coniungendos prolata, matrimonialem vero contractum non esse nisi sacramenti materiam. [3]) Arrisit haec sententia imprimis maxime iis, qui principibus ius aliquod in matrimonia christianorum competere volebant; deinde etiam theologis pluribus, ut *Sylvio, Estio, Iuenin, Tournely, Collet.* Ipse Benedictus XIV, ut doctor privatus, eam valde probabilem (sc. extrinsecus) esse dicit. [4]) Verum „si eiusmodi sententia, cum S. Sedis oracula nondum prodierant, dicta tamen fuit a Bellarmino cum communi nova ac falsa, a Fagnano periculosa in fide, a Sanchezio cum aliis pluribus teme-

---

[1]) Cf. litt. past. Episc. Trever. 26 ian. 1893.

[2]) Plura de „matrimonio civili", praesertim prout Codice civili Germanico id statutum est, infra dicentur ubi sermo erit de potestate, quae Ecclesiae prae matrimonio christiano propria competit.

[3]) Melch. Canus, De loc. theol. 8, 5.

[4]) Bened. XIV, De syn. dioec. 8, 13.

raria, haud mirum videbitur, si eadem modo haeresi proxima dicatur." [1])

Sententia igitur *opposita* et modo *communis* et *certa* est, sc. ipsos *contrahentes* sacramenti esse ministros, contractum eius formam et materiam. [2]) Cum autem minister et forma ac materia intime cohaereant iisque fere testimoniis et ille et hae exhibeantur, quaestionem utramque simul tractabimus. Quando vero quaeritur, quomodo materia et forma in contractu inveniantur, non eodem modo id explicant. Alii volunt, corpora contrahentium in ordine ad generationem, seu potius ius in corpus alterius esse materiam, signa externa consensum exprimentia („regulariter verba", ut dicit Eugenius IV), seu consensum signis expressum formam; alii in ipsis his signis et formam et materiam reperiunt, ita ut signa illa, prout traditionem significant potestatis, sint materia, prout acceptationem, forma.

DEMONSTRATUR: Matrimonii sacramenti *ministri* sunt *contrahentes, materia* et *forma* est *contractus* exterius expressus.

1. Ex *consensu scholae.*

Canus ad sententiam suam tuendam non affert nisi Paludanum, Guilelmum Parisiensem, S. Thomam; reliquos *omnes* ipse sibi adversari fatetur. Verum nec illi ei favent. *Guilelmus Parisiensis* nihil aliud dicit, quam, ut honeste et cum gratia actu conferenda celebretur, matrimonium in facie Ecclesiae celebrari debere. *Paludanus* solum dicit, contrahentes peccatores non esse sacrilegos; verum sacrilegi ideo non dicuntur, quia ad sacramentum conficiendum non sunt specialiter consecrati. Praeterea idem docet: „consensus sacramentum ministrat, non autem sacerdos benedicens, qui solum sacramentale quoddam adhibet." *S. Thomas* denique cum dicit, in matrimonio esse verba exprimentia consensum et benedictiones ab Ecclesia institutas, matrimonium spectat prouti ab Ecclesia regitur, eoque ipso quod benedictiones dicit ab Ecclesia institutas, significat eas non esse formam sacramentalem. Porro Angelicus diserte docet: „Verba, quibus exprimitur consensus matrimonialis, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale." [3])

---

[1]) Cretoni in annot. ad Gury 2 p. 644.

[2]) Sententia est peculiaris, cui suffragatur *Berlage*, sacerdotem matrimonii ministrum esse ordinarium, coniuges ministros extraordinarios. At discrimen huiusmodi inter ministrum ordinarium et extraordinarium in hoc sacramento absque fundamento ponitur.

[3]) S. Th. 4 dist. 26 a. 1; Suppl. q. 42 a. 1 ad 1. — S. Bonaventura de matrimonio christianorum haec habet (4 dist. 28 a. 1 q. 5): „Ad esse matrimonii ista duo sufficiunt, sc. legitimitas in personis et unitas in consensu.

2. Ex aliis quae circa matrimonium *certa* sunt.

1. Quemadmodum thesi praecedente probatum est, a. *ipse contractus* matrimonialis in matrimonio christiano est sacramentum, b. *omne* inter christianos initum matrimonium sacramentum est. Atqui nec a. ipse contractus, nec b. omne christianorum matrimonium esset sacramentum, nisi ipsi contrahentes essent ministri, et contractus ipse esset materia et forma.

2. Teste Innocentio III (‚Tuas dudum') et Eugenio IV (Decr. pro Armenis) *causa efficiens ac sufficiens* matrimonii est mutuus coniugum consensus. Atqui si sacerdos matrimonii est minister eiusque actus requiritur, consensus non est matrimonii causa efficiens nec multo minus sufficiens.

3. Docente Concilio Tridentino (Sess. 24 de reform.) atque Ecclesiae praxi universa constat, „*clandestina* matrimonia libero contrahentium consensu facta *rata* et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit". Atqui matrimonium ratum non intelligitur esse nisi sacramentum.

4. Ex declaratione Benedicti XIV circa matrimonia tum *haereticorum* tum *mixta* in Hollandia, postea ad alias quoque regiones extensa, et ex responso S. Congregationis pro negotiis ecclesiae *Gallicanae* deputatae (22 apr. 1792) certum est, posse esse matrimonia christiana quae sacerdote non praesente contrahantur, et ex praxi praeterea constat, istiusmodi matrimonia nec postea, cum haeretici convertuntur, amplius benedici. Ergo ex sese sacramenti habent rationem.

5. Ex historia Concilii Tridenti manifestum est, *praesentiam sacerdotis* a Concilio non fuisse requisitam ut ministri sacramenti, sed ut testis qualificati, ita quidem ut ambigeretur, utrum potius publicus tabellio an parochus ad hoc munus videretur deputandus.[1]) Ergo sacerdos non est minister.

6. Ex eodem Concilio Tridentino sacerdos sponsos coniungens uti potest *qualibet forma* iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. „Atqui tantam varietatem Ecclesia non tolerasset multoque minus cuiuslibet provinciae arbitrio permisisset, si existimasset per verba a sacerdote prolata confici sacramentum matrimonii."[2])

SCHOLION. Quae quamvis ita sint, semper tamen in Ecclesia Christi observatum est atque a Patribus severe inculcatum, ut matrimonium, utpote

---

Ad solemnitatem vero et decorem sive honestatem requiritur et parentum traditio et sacerdotum benedictio; haec autem ita sunt ad decorem sacramenti, ut tamen sint de necessitate praecepti."

[1]) Cf. Pallavicini, Hist. Conc. Trid. 22, 4; Theiner, Acta 2.

[2]) Benedict. XIV, De synod. dioec. 8, 13.

res sacra atque ab Ecclesia regenda, a christianis sub auspiciis et benedictione *sacerdotum* celebraretur, et quae secus contrahebantur matrimonia facile concubinatus suspicione laborabant. „Penes nos occultae coniunctiones, i. e. non prius apud Ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur.“ [1])

Caput III.

De proprietatibus matrimonii.

Duplex est matrimonii proprietas hic vindicanda: *unitas* et *indissolubilitas;* utraque matrimonio insita tum prout est contractus tum maxime prout sacramentum est.

Errabant circa matrimonii *unitatem* Novatiani et Montanistae per excessum, damnantes secundas nuptias, per defectum praeter polygamos plurimos ii ex Protestantibus, qui polygamiam christianis iure divino non esse vetitam asserebant; circa *indissolubilitatem* Graeci schismatici et Protestantes, quorum illi propter adulterium matrimonium dissolvi posse statuunt, hi praeterea matrimonii indissolubilitatem iuris divini esse negant.

Thesis 7.

Matrimonii unitas 1. plures nuptias successive iteratas admittit, 2. non vero nuptias simultaneas, quas quidem sic excludit, ut 1. polyandria contra prima praecepta iuris naturalis sit, 2. polygamia tum contra praecepta naturae secunda tum contra positivam legem divinam.

Pluralitas nuptiarum distinguenda est *successiva* et *simultanea.* Successivam pluralitatem matrimonii unitati minime adversari facile probabitur. Difficilior est quaestio pluralitatis simultaneae i. e. polygamiae. Atque in hac quidem quaestione necesse est ut imprimis distinguatur *polyandria,* i. e. unius mulieris cum pluribus viris consociatio, et *polygynia* seu *polygamia* simpliciter dicta, quae est unius viri cum pluribus mulieribus coniunctio. Praeterea distinguatur oportet ius multiplex, cui vel polyandria vel polygamia opponatur: scilicet *ius naturae, ius divinum positivum,* speciatim *ius evangelicum* seu *christianum.*

DEMONSTRATUR: **1.** Nuptiae *successive* iteratae licitae sunt.

1. Probatur *ratione.*

---

[1]) Tertull. De pudic. 4.

„Vinculum matrimoniale non durat nisi usque ad mortem; et ideo moriente altero coniugum vinculum matrimoniale cessat: unde propter praecedens matrimonium non impeditur aliquis a secundo, mortuo coniuge; et sic non solum secundae, sed tertiae et deinceps nuptiae sunt licitae.“ [1])

2. Probatur ex doctrina *Apostoli.*

„Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino“ (1 Cor. 7, 39). „Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permaneant sicut et ego; quod si non se continent, nubant, melius est enim nubere quam uri“ (ibid. 8 sq.).

Atqui his verbis Apostolus a. omnibus viduis potestatem dicit esse ad nuptias ulteriores transeundi; imo b. ut iterum nubant, non quidem per se, sed ratione vitandae fornicationis suadet. Ergo sequentes nuptiae iure divino sunt licitae.

3. Probatur sensu *Patrum* et *Ecclesiae.*

Ulteriores nuptias licitas esse affirmant Hermas [2]), Hieronymus [3]), Augustinus [4]), Epiphanius [5]) aliique.

Idem edicitur ab Innocentio III in professione fidei Waldensibus praescripta et a Benedicto XII in damnatione errorum Armenorum. Solemniter id declaravit Eugenius IV (Decr. pro Iacobitis): „Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum ubi non est esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro mulier sit ab eius lege soluta et nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec distinguat mortuo primo vel secundo vel tertio: declaramus non solum secundas, sed etiam tertias et quartas atque ulteriores nuptias, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a coniugio abstinentes in castitate permanserint; quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse censemus.“

Quodsi aliqui Patres *graeci* aliud sentire videntur, ii non ipsas iteratas nuptias reprobant, sed affectum nimis carnalem, quem in bigamis supponunt, ut christianos minus decentem vituperant. Ex qua iteratarum nuptiarum inconvenientia factum est, ut Apostolum secuta Ecclesia etiam latina bigamos a sacris ordinibus arceret et in secundis nuptiis solemnem benedictionem negaret; imo ut Ecclesia

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 63 a. 1.
[2]) Hermae Pastor, Mand. 4, 4.
[3]) Hieronym. Epist. 48, 9.
[4]) Augustin. De bono vid. 12.
[5]) Epiph. Haer. 59.

graeca plus aequo severa eos poenitentiae subiiceret, quin tamen eos separandos curaret. Unde tandem saec. 10 Ecclesia graeca eo progressa est, ut quartas nuptias irritas esse statueret; quam tamen quartarum nuptiarum reprobationem ex Graecorum *lege ecclesiastica* eas dirimente repetendam esse nonnulli haud inepte existimant.

2. *Simultanea* pluralitas nuptiarum illicita est, imo aliquatenus iuri naturae repugnat.

„*Ius naturale* est, quod non opinio genuit, sed vi quaedam innata inservit.“ [1]) Cum autem omnibus rebus insint quaedam principia, quibus operationes proprias fini suo efficiant convenientes, homini, cuius est et rationem finis cognoscere et operationis ad finem proportionem, naturaliter indita est ratio, qua ad convenienter agendum in operationibus suis dirigitur: atque haec hominis lex est naturalis. „Potest autem actio esse non conveniens fini vel principali vel secundario; et sive sic sive sic, hoc contingit dupliciter: uno modo ex aliquo, quod omnino impedit finem, ut nimia superfluitas aut defectus comestionis impedit salutem corporis, quasi principalem finem comestionis, et bonam habitudinem in negotiis exercendis, qui est finis secundarius; alio modo ex aliquo, quod facit difficilem aut minus decentem perventionem ad finem principalem vel secundarium, sicut inordinata comestio quantum ad tempus indebitum. Si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturae prohibetur primis praeceptis legis naturae, quae sunt in operabilibus sicut communes animi conceptiones in speculativis; si autem sit incompetens fini secundario quocunque modo aut etiam principali ut faciens difficilem vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis praeceptis legis naturae, sed secundis, quae ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent: et sic dicta actio contra legem naturae esse dicitur.“ [2])

Iam vero *polyandriam* praeceptis *primis* legis naturalis dicimus adversari atque ideo intrinsecus ita esse malam, ut nunquam possit esse licita. *Polygamiam* vero, quamvis non repugnet primis praeceptis legis naturalis, tamen ostendemus repugnare *secundis*, ac praeterea, quamvis aliquando fuerit permissa, tamen et apud christianos irritam esse et in ipsa institutione matrimonii propria lege prohibitam.

1. *Polyandria* adversatur *primis* praeceptis iuris naturalis.

---

[1]) Cic. Rhet. 2.

[2]) S. Th. Suppl. q. 65 a. 1.

„Unam uxorem habere plures viros, est contra prima praecepta legis naturae, eo quod per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur et quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimonii finis. In bono enim prolis intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio: ipsa enim procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, tamen multum impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio accidat quantum ad utrumque foetum vel quantum ad alterum; sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cuius cura necessaria est in educando. Et ideo nulla lege vel consuetudine est permissum unam mulierem habere plures viros." [1]) Atque his ratio praecipua significatur, cur polyandria omnino naturae adversetur. Quae ratio teste Augustino alio argumento confirmatur atque ipso veluti quodam hominum instinctu satis manifestatur: „Occulta lege naturae amant singularitatem quae principantur; subiecta vero non solum singulis, sed, si ratio naturalis vel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur. Neque enim sic habet unus servus plures dominos, quomodo plures servi unum dominum. Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus servisse sanctarum." [2])

2. *Polygamia* illicita est.

a. Polygamia repugnat *secundis* praeceptis *legis naturalis*.

„Matrimonium habet pro fine principali prolis procreationem et educationem qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis; unde et aliis animalibus est communis: et sic bonum matrimonii assignatur proles. Sed pro fine secundario habet in hominibus solis communicationem operum, quae sunt necessaria in vita: et secundum hoc fidem sibi invicem debent, quae est unum de bonis matrimonii. Habet ulterius alium finem, inquantum inter fideles est, scilicet significationem Christi et Ecclesiae: et sic bonum matrimonii dicitur sacramentum. Unde primus finis respondet matrimonio hominis, inquantum est animal; secundus, inquantum est homo; tertius, inquantum est fidelis. Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis et educandis filiis ex eis natis. Sed secundum finem, etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores iunguntur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio

---

[1]) S. Th. l. c. ad 8. — Nec apud ipsas gentes barbaras polyandria nisi raro in usu est. Cf. Schneider, Die Naturvölker, 2 Teil.

[2]) Augustin. De bono coniug. 17.

plurium in uno officio causat litem; sicut figuli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, ita et Ecclesia una. Et ideo patet ex dictis, quod pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturae, et quodammodo non". [1])

Polygamia ergo α. nec iuris naturae primis praeceptis repugnat nec intrinsecus invalida vel etiam mala dicenda erit esse, siquidem secus neque in V. Testamento permitti potuisset; β. nihilominus ipsi naturae ea minus consentanea est quam monogamia atque adeo minus perfecta, maxime vero ipsius mulieris dignitati minus congrua. [2])

b. Polygamia simultanea *iure divino* illicita est et irrita *christianis*. [3])

Concilium Tridentinum haec definivit (Sess. 24 c. 2): „Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum: a. s." — Et sane, legem divinam esse nullum efficientem matrimonium, quod a christiano contrahatur altero coniuge vivente, probatur:

a) *Christus* ipse statuit nullum esse secundum matrimonium.

„Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur" (Marc. 10, 11 sq.; cf. Luc. 16, 18; Matth. 19, 9).

---

[1]) S. Th. l. c. — Nihilominus fatemur, rationes, propter quas polygamia finem matrimonii impedire a S. Thoma docetur, non esse nimis urgendas, et licet probare dicantur, polygamiam iure naturae illicitam esse, non tamen satis iis putamus demonstrari, eam, si solum ius naturae spectetur, invalidam esse.

[2]) Ipse *Bebel* (Die Frau und der Socialismus, 121) egregie fatetur: „Die Polygamie widerspricht nicht nur unsern Sitten, sie ist auch für die Frau unter allen Umständen eine Herabwürdigung; was allerdings Schopenhauer bei seiner Geringschätzung und Verachtung der Frau nicht abhält zu erklären: «Für das weibliche Geschlecht im ganzen ist Polygamie eine Wohlthat» . . . Die unter normalen Verhältnissen fast gleiche Kopfzahl der beiden Geschlechter weist überall auf die Einehe hin."

[3]) *Lutherus* in Gen. 16 docet, christianis plures simul habere uxores minime prohibitum esse nec eam consuetudinem improbari posse, cum etiam nunc patrum V. T. exempla sequi liceat. Idem porro Lutherus, Melanchthone, Bucero aliisque consentientibus, Philippo Hassiae landgravio dicenti, nisi altera sibi concedatur uxor, pudice vivere se non posse, alterum coniugium indulsit, monens utique ut hoc matrimonium coram paucis celebraretur testibus sub confessionis sigillo ad secretum adstringendis; in cuius dispensationis mercedem Lutherus a landgravio dolium vini Rhenani dono accepit. Exemplum hoc Lutheri ex Protestantibus ministelli nonnulli aliquando imitati sunt, ubi de viris divitibus ac potentibus agebatur v. g. de Carolo Ludovico Palatino, Eberhardo Ludovico de Württemberg, Friderico IV de Danemark, Friderico Guilelmo II Borussiae rege. Cf. Schulte, Kirchenrecht; ‚Einig contra Beyschlag'; et auctores ibi citatos.

Quae verba sic merito interpretatur Innocentius III (cap. ‚Gaudemus', de divortiis): „Si ergo uxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta; per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur circa matrimonium, reprobandam". Et sane, si qui dimissa uxore aliam ducit non solum male agit, sed moechatur, alterum hoc matrimonium irritum sit oportet.

b) *Apostolus* idem docet.

„Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus: uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat" (1 Cor. 7, 10). „Mulier vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro" (Rom. 7, 3).

Iam vero Apostolus loquitur hic de muliere, cui iusta causa est a viro se separandi; nam absque huiusmodi causa, cum „mulier sui corporis potestatem non habeat" (1 Cor. 7, 4), non ei daretur optio aut manendi aut se reconciliandi, sed teneretur ad maritum redire. Atqui etiam huiusmodi mulieri aliae nuptiae ita interdicuntur a Domino atque adeo iure divino, ut hae nuptiae sint prorsus irritae.

c) *Traditio* idem servavit.

„Dominus non amplius concedit polygamiam." [1]) „Non licet tibi uxore vivente uxorem ducere; nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii." [2]) — Idem declarant Concilium Milevitanum II, provocans ad „evangelicam et apostolicam disciplinam"; Innocentius I, Nicolaus I. [3])

c. Polygamia iure *primitivae institutionis* irrita fuisse videtur.

Cum polygamia non sit contra prima iuris naturalis praecepta fieri poterat, ut aliquando a Deo permitteretur. Iam vero fuisse eam in V. T. permissam saltem inde a diluvio, liquet ex Deuter. 21, 15; 2 Reg. 5, 13; 15, 16; 1 Par. 3, 1; 4, 5. [4]) Atque in hac re conveniunt omnes.

---

[1]) Clem. Alex. Strom. 3.

[2]) Ambr. De Abraham 1, 7.

[3]) Quod Gregorius II epistola quadam ad S. Bonifatium data concedere videtur, ut „si mulier non valuerit debitum viro reddere" hic aliud contrahat matrimonium, id verosimile est intelligendum esse de matrimonio nondum consummato vel quod impotentia erat nullum.

Quae narrantur de *Valentiniano imperatore* et de *comite a Gleichen*, eos sc. duas simul habuisse uxores, vel historice falsa sunt, uti communiter conceditur, vel saltem nullo modo ostenduntur ab Ecclesia fuisse approbata.

[4]) V. T. uxores secundariae *concubinae* dicebantur. „Ubicunque legitur in V. T. aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit a peccato mortali excusari, oportet eas esse matrimonio iunctas, et tamen concubinas dici." S. Th. q. 65 a. 5. — Qui quidem loquendi usus etiam in Iure Romano et apud Patres vetustiores obtinuit.

At quaeritur, quid *primitus* a Deo statutum fuerit. Durandus, Tostatus, Maldonatus, Perrone, Patrum aliquorum dictis innisi, existimant, nullam a Deo primitus latam fuisse legem, qua polygamia irritaretur. Communius tamen dicunt, primitus monogamiam solam a Deo concessam fuisse; ab ea deinde dispensatum esse; ac denique per Christum dispensatione hac ablata matrimonium ad pristinam unitatem restitutum esse. Patrum vero effata, quibus negatur in V. T. lex fuisse polygamiam prohibens, ita exponi poterunt, ut haec lex dispensatione abrogata esse dicatur.

a) *Ratione* ipsa id suadetur.

„Lex de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quae ad legem naturae qualitercunque pertinent; et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quae quidem principaliter Patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore, quo oportebat praedictum naturae praeceptum praetermitti, ut maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae. Semper enim principalior finis magis observandus est quam secundarius; unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire; ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.“ [1])

b) *Sensu Ecclesiae* idem tenetur.

Innocentius III (Cap. ‚Gaudemus‘) haec habet: „*Nulli unquam* licuit in simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.“ Ergo ab ipso Deo inde ab initio lex statuta est monogamiae.

Concilium Tridentinum (Sess. 24 de matrim.) docet: „Hoc matrimoniali vinculo duos tantummodo copulari Christus *apertius* docuit, cum postrema illa verba (erunt duo in carne una) tamquam a Deo prolata referens dixit: itaque non sunt duo, sed una caro.“ Iam vero si Christus matrimonii unitatem „apertius“ docuit, eam iam prius satis aperte docuisse et iussisse dicendus est Deus.

Praxis Ecclesiae constans est, infidelem polygamum ad baptismum accedentem cogere, ut praeter primam dimittat reliquas uxores omnes. Iam vero nec baptismo solvuntur matrimonia, nec lege christiana iubentur dirimi. Ergo solum primum coniugium Ecclesia censere videtur verum fuisse matrimonium. Quodsi nonnunquam infidelibus permissum est, ut priore dimissa *alia* retineretur

[1]) S. Th. q. 65 a. 2.

uxor, dicendum est prius illud matrimonium, si quidem verum erat matrimonium, utpote in infidelitate contractum, auctoritate Romani Pontificis potuisse solvi ac solutum fuisse, ita ut deinde cum alia muliere, sed una, consensu renovato novum matrimonium contraheretur. Monogamia igitur lege divina dicenda videtur esse statuta etiam infideles obligante.

Qui quidem sensus Ecclesiae clarius etiam manifestatur pluribus *Congregationum Romanarum* responsis. Sic v. g. decretum est a S. Congr. S. Officii 28 mart. 1860 de polygamia Gallarum: „Certissimum est polygamiam simultaneam iure evangelico esse omnino illicitam; unde, postquam Iesus Christus (Matth. 19) matrimonium ad pristinam reduxit sanctitatem, unitatem et indissolubilitatem addita pro baptizatis sacramenti dignitate, nec infidelibus nec iudaeis nec ulli mortalium licuit plures sibi copulare uxores. Consequenter divinitus sic restituta monogamia, nonnisi unam uni legitimo validoque coniugio devinciri posse, inconcussum fidei dogma habetur." Hinc ab eadem Congregatione 20 iun. 1866 circa eadem Gallarum matrimonia concluditur: „Certum est matrimonio inter puellam christianam et virum polygamum obstare impedimentum dirimens ligaminis. Quapropter ambigi nullatenus potest, quin filiafamilias christiana debeat esse disposita potius ad moriendum quam ad consentiendum quomodocunque ut tradatur in matrimonium viro polygamo." — Quibus addatur hoc antiquissimum, quod in ‚Testamento D. N. I. Chr.' (l. 2) legitur, testimonium clare significans nec infidelibus plures licere habere uxores nec fideli permitti ut infideli polygamo coniungatur: „Si cuiuspiam concubina, quae serva sit, velit fidem profiteri, admittatur ad audiendum (verbum), dummodo prolem suam elevet et a domino suo recedat vel ipsi *uni* matrimonio coniungatur; susceptoque deinde baptismo communionis Eucharistiae particeps fiat. Secus autem reiiciatur." [1])

---

[1]) *Warneck* (Evangelische Missionslehre 3, 1 p. 297 sq.) postquam aliqua egregie attulit, quibus probetur, polygamiam etiam infidelibus illicitam esse, imo ipsi iuri naturae, ut putat, adversari, de *praxi* cum his minime cohaerente, quam *missionarii protestantes* observant, haec habet: „In den Anfängen der jetzigen Mission war die runde Ablehnung der Taufe von Polygamisten fast die ausnahmlose Missionspraxis; aber je länger, je allgemeiner ist man zu einer milderen Praxis gekommen . . . Von den meisten, auch den deutschen, wird in besonders motivirten Ausnahmefällen die Taufe von Polygamisten zugelassen." Ipse deinde Warneck hanc statuit regulam in praxi servandam: „Gelingt es trotz aufrichtiger Bemühungen nicht, die Lösung der polygamischen Verbindungen herbeizuführen, weil der Mann, auch wenn er Christ wird, sich in seinem Gewissen für gebunden hält an die Frauen, mit denen er in seiner heidnischen Zeit eine rechtliche Ehe geschlossen, oder hat die Lösung solche

SCHOLION. Quaeritur de *promulgatione* legis monogamiae eiusque *dispensatione;* si quidem, uti audivimus, verosimile est, talem legem ab initio latam fuisse.

1. *Lex* monogamiae dicenda videtur satis promulgata fuisse verbis Dei (Matth. 19, 5): „*Quamobrem* relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt *duo* in carne *una*“ (Gen. 2, 24); quae teste Christo Dei sunt verba protoparentum ore pronuntiata. His enim verbis et sermo est de duobus solis, et horum duorum unionis typus esse exhibetur unio talis, quae certe non erat nisi inter duos solos, et unio ad prolem gignendam declaratur esse perfectissima.

2. Quaeritur de *dispensatione* a lege monogamiae. Quo tempore dispensari coeperit, non constat. Dispensatio autem huiusmodi non videtur locum habuisse nisi *post diluvium.* Solus enim Lamech ante diluvium legitur plures habuisse uxores (Gen. 4, 19); isque hanc ob rem a Patribus reprehenditur atque imo adulterii accusatur. [1])

Ad *modum* quod spectat, quo dispensatio haec facta sit, iam audivimus a S. Thoma eam factam videri per divinam quandam *inspirationem.* De qua inspiratione haec docet S. Bonaventura: „Ista dispensatio facta est divina inspiratione in patriarchis et rege David, quoniam utrisque de semine facta est repromissio. Et quia isti erant capita et imitandi erant tamquam sancti, et intellexerunt recte dispensationem hanc ad omnes extendi, qui erant imitatores eorum in castitate; et mos fuit ex hoc introductus durans usque ad Christi adventum.“ [2])

Dispensationis vero *ratio* erat prolis multiplicatio ad cultum veri Dei; maxime in familia Abrahae, cui dictum est: „Faciam te in gentem magnam“ (Gen. 12, 2). „Fuit necessitas, quia pauci erant Deum colentes; et ut cultus divinus non periret, necesse fuit ut filios multiplicarent. Fuit etiam utilitas, quia filii erudiebantur a parentibus et mores patrum servabant. Et ideo quanto plures, tanto cultus Dei erat celebrior.“ [3])

Post Christum natum non erat conveniens, quod a monogamiae lege dispensaretur. Nam „veniente Christo fuit tempus plenitudinis gratiae, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est: et ideo non est eadem ratio dispensationis, quae erat ante Christi adventum, quando cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur et conservabatur.“ [4])

Übel und Gefahren für die entlassenen Frauen im Gefolge, denen sie ohne Versündigung gegen die elementarsten Sittengesetze nicht preisgegeben werden dürfen, so kann die *Fortführung der polygamischen Ehe geduldet* und der Mann unter der Bedingung *getauft* werden, dass seine sonstige Reife für die Taufe ganz zweifellos ist.“ Ergo iuxta Protestantes polygamia omnino mala est; nihilominus, ut bona obveniant, volunt ut permittatur! Nimirum: finis media sanctificat!

[1]) Cf. Hieronym. C. Iovinian. 1, 14; Nicol. I ad consulta Bulgarorum 51.

[2]) S. Bonav. 4 dist. 33 a. 1 q. 3.

[3]) S. Bonav. l. c.

[4]) S. Th. l. c. ad 4.

Thesis 8.

Matrimonium est indissolubile 1. iure evangelii, 2. iure primitivae institutionis, 3. iuris naturae non quidem primis, sed secundis praeceptis.

Quaestio hic nobis est de solutione ipsius *vinculi* matrimonialis. De separatione enim, quae manente vinculo fieri potest a toro et mensa, in Scholio dicetur.

Aliquam necessario competere matrimonio stabilitatem, ex ipsa natura atque fine huius contractus sponte consequi audivimus. At quaeritur, quaenam sit haec matrimonii necessaria stabilitas. Respondetur: indissolubilitas. Verum *quo iure* haec matrimonio dicenda est competere indissolubilitas? Certissime iure *evangelii,* certe etiam iure *primitivae institutionis,* aliquo sensu denique iure etiam *naturali.*

Contractus autem aliquis dupliciter contingere potest ut solvatur: vel quia solvitur id quo ortus est, sc. consensus contrahentium, vel potestate eius cui subsunt et contractus et contrahentes. Prior dissolubilitas *interior* dicitur, altera *exterior.* Quamobrem duplex etiam est indissolubilitas. Sermo est nobis in thesi potissimum de indissolubilitate matrimonii *interna.*

DEMONSTRATUR: **1.** Matrimonium indissolubile est iure *evangelii.*

Dicimus, iure *evangelii* matrimonium esse indissolubile. Est igitur indissolubile matrimonium *christianorum.* Valet vero id certissime de matrimonio consummato. Valet etiam, si de indissolubilitate interna quaeritur, de matrimonio rato; extrinsecus enim hoc posse dissolvi, postea probabitur. Atque id asserendum est de matrimonio christiano *omni* etiam in casu adulterii. Iam vero huiusmodi indissolubilitatem christiano matrimonio competere, *de fide* est. Hae enim exstant definitiones Concilii Tridentini: „Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: a. s.“ (c. 5). „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere moecharique eum qui dimissa adultera aliam duxerit et eam quae dimisso adultero alii nupserit: a. s.“ (c. 7)[1] Iam vero haec saltem christianorum matrimonium spectare perspicuum est.

---

[1]) Ecclesiae in indissolubilitate docenda infallibilitatem directe atque adeo indissolubilitatem *indirecte* maluerunt definire Patres Tridentini, ne sc. directe damnarentur Graeci propter adulterium matrimonia solventes. Cf. Pallavicini, Hist. Conc. Trid. 22, 4.

1. *Christus* ipse id docuit.

„Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si mulier dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur“ (Marc. 10, 2). „Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur“ (Luc. 16, 18).

Iam vero eatenus dimittens et dimissa dici possunt alia ineuntes connubia *„moechari“*, quatenus prioris matrimonii vinculum dimissione non obstante perseverat. Atqui *„omnis“*, *„quicunque“* ita agens dicitur moechari. Ergo omnis simpliciter christianorum matrimonii vinculum insolubile est.

Obiicitur: Christus ipse causam *adulterii* excipit. Dicit enim: „Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat“ (Matth. 5, 32); „quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur“ (Matth. 19, 9).[1]

Respondetur: a. Doctrina *fidei* est (Conc. Trid. c. 7), Ecclesiam non errare, cum doceat iuxta evangelicam doctrinam propter adulterium matrimonii vinculum dissolvi non posse. Ergo quicunque est sensus verborum Christi apud Matthaeum, nequit certe esse is, ut matrimonii vinculum propter adulterium dicatur posse dissolvi.

b. Ipsius Christi verba apud *Marcum* et *Lucam clarissima* maxime sunt universalia, ita ut *omnis* prorsus vir dimittens uxorem atque aliam ducens dicendus sit moechari. Iam vero si apud Matthaeum Christus causam adulterii ab hac lege excepisset, *non omnis* vir ita agendo moechari dicendus foret. Cuiusmodi contradictio in verbis Christi admitti nequit. Ergo verba Christi a Matthaeo relata redigenda sunt ad eiusdem verba clariora apud Marcum et Lucam; et quicunque est sensus illorum verborum, nequit certe esse is, ut causa adulterii matrimonialis vinculi indissolubilitatis exceptio admittatur.

c. Christi verba apud ipsum *Matthaeum* (19) id idem demonstrant. Nam provocans ad primitivam institutionem matrimonii legem, declarat eam fuisse a Deo latam et a se ipso confirmatam: „quod Deus coniunxit, homo non separet“. Atqui haec lex universalissima est et omnis coniunctionis matrimonialis solutionem negat fieri posse ulla humana potestate quocunque in casu atque adeo etiam in casu adulterii. Iam vero fieri nequit, ut Christus quod prius affirmavit deinde neget. — Porro ipse Christus postea iterum nulla exceptione

[1] Supponitur lectionis, de qua Vincenzi dubitat, genuinitas.

addita affirmat: „qui dimissam duxerit, moechatur". Ergo quae exceptionem exhibent, nequeunt explicari ita, ut concedatur in casu adulterii solvendi matrimonialis vinculi potestas.

d. Verborum vero Christi plures traduntur explicationes, quarum hae praecipuae sunt:

α. „Excepta fornicationis causa" = παρεκτὸς λόγου πορνείας significat: *seposito sermone* de fornicatione; ita ut Christus de hoc casu diserte loqui noluerit, implicite tamen eum quoque damnaverit. Ita S. Augustinus [1]) et nostra aetate Dreher. [2]) Verum huic explicationi non favet textus alter (Matth. 19, 9), ubi legitur εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, obstat vero contextus ipse, qui prohibere videtur, ne Christus a materia sermonis casum adulterii dicatur voluisse excipere.

β. „Fornicatio" = πορνεία non est adulterium seu μοιχεία, sed simplex *fornicatio*, quae matrimonium *praecesserat*, ita ut vel omnibus vel saltem Iudaeis Christus doceat licitum esse viro dimittere uxorem, quam quis non esse virginem deprehenderit. Ita Döllinger [3]) et nonnulli ex Protestantibus. Verum obstat huic explicationi quod istius limitationis ad fornicationem ante matrimonium commissam in textu nullum vestigium apparet et quod nullo modo admitti potest licere illam dimissionem, excepta hypothesi quod nisi sub hac conditione vir contrahere non voluerit. [4])

γ. Fornicatio explicatur simplex ita, ut ipsa *unio*, quae solvenda sit, non vere intelligatur matrimonialis, sed quacunque ex causa *fornicaria*, atque eo ipso solvenda. Ita Patrizi. [5]) At obstat quod πορνεία quamvis per se non sit μοιχεία, tamen et in Scriptura frequenter eam significat, et, si est „uxoris" πορνεία, videtur pro ea significanda accipi debere, et quod tantus est et Patrum et theologorum hic in accipienda πορνεία pro adulterio atque inde in probanda imperfectae separationis liceitate consensus, ut ab eo discedere non audeamus.

δ. Sermo est de *adulterio*. Sed Christus, non secus ac Pharisaei interrogantes, distinguit solutionem ipsius vinculi matrimonialis et separationem a toro et convictu; priorem negat fieri posse, hanc *separationem* licitam dicit esse in casu adulterii. Exceptio itaque illa, „excepta fornicationis causa", „nisi ob fornicationem", non afficit nisi subiectum „qui dimittit", ac Christi sententia in has duas resolvi debebit propositiones: qui dimittit uxorem, quod quidem non licet

---

[1]) Augustin. De coniug. adult. 1, 9.
[2]) Cf. ‚Katholik' 1877, II, 578 sq.
[3]) Döllinger, Christentum und Kirche 3, 10.
[4]) Cf. Perrone, De matrim. l. 3 c. 2 a. 2 § 4.
[5]) Patrizi. De interpret. Script. 1, 281; cf. ‚Katholik' 1879, II, 530.

quacunque ex causa, sed ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur. Atque haec est explicatio *communior* ac *verosimilior*. Breviter eam sic exponit Beda (in Marc. 10): „Una ergo solummodo causa est carnalis, fornicatio, una spiritualis, timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur; nulla autem causa est Dei lege praescripta, ut vivente ea, quae relicta est, alia ducatur.“ Audiatur Bellarminus solvens ea quae contra hanc explicationem obiici possunt: „Christus quando concedit dimissionem in causa fornicationis non loquitur de dimissione quoad vinculum, sed solum quoad torum et habitationem. «At Pharisaei interrogaverunt de dimissione quoad vinculum, ergo et Dominus de eadem respondit». Concedo Pharisaeos de dimissione quoad vinculum interrogasse, sed nego Dominum de eadem respondisse, cum concedit dimissionem in causa fornicationis. «Ergo, inquit adversarius, non satisfecit Dominus propositae interrogationi». Neganda est consequentia. Nam cum in dimissione perfecta, quae est quoad vinculum, duo contineantur, dimissio unius et potestas ducendi aliam, Dominus haec duo separavit, ac unum quidem concessit, dimissionem videlicet cum restrictione ob causam fornicationis, alterum vero omnino sustulit. Et haec est causa, cur fere semper Dominus illa duo distincta posuerit: «quicunque dimiserit, et aliam duxerit»; ut nimirum explicaret repudium in lege permissum, et partim approbaret, partim reprobaret.“ [1])

2. *Paulus Apostolus* tum ad Corinthios tum ad Romanos matrimonium christianum indissolubile esse docet.

a. „Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed *Dominus*, uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat“ (1 Cor. 7, 10 sq.).

Quorum verborum hic sensus est: praeceptum est Domini: mulier ne discedat a viro, quodsi iustam ob causam discesserit, aut maneat separata, innupta tamen, aut ad virum suum redeat. In hac autem re eadem est causa viri et mulieris (ibid. 4). Ergo quaecunque causa sit discessionis, manet vinculum et aliud matrimonium, quod contrahatur, irritum est.

b. „Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro“ (Rom. 7, 2 sq.).

---

[1]) Bellarm. De matrim. 1, 17.

Atqui ex his discimus, matrimonium neque solvi facto ipso adulterii, nec coniugi innocenti ius esse solvendi matrimonii, ita ut sit adulter, si vivente coniuge cum alio fuerit; matrimonii enim vinculum docemur non solvi, nisi alteruter coniugum a corpore abscesserit.

3. *Traditio universa* ad Christi et Apostoli verba plerumque provocans testis est, esse christianorum matrimonium insolubile.

a. *Conciliorum* et *R. Pontificum* decreta id testantur maxime leges imperatorias oppositas damnantia et Graecorum usum repudiantia. Eugenius IV (Decr. pro Armenis): „Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.“ Canon Apostolicus 48: „Si quis laicus, uxore sua reiecta, aliam perceperit vel ab alio dimissam, segregatur.“

Ex Pontificibus nemo non restitit principibus divortia petentibus; sic Nicolaus I Lothario, Urbanus II et Paschalis II Philippo I, Coelestinus III et Innocentius III Philippo II, Clemens VII et Paulus III Henrico VIII, Pius VII Napoleoni I.

b. *Patrum* testimonia plurima sunt eaque clarissima usque ad aevum Apostolicum pertingentia.

Augustinus haec habet: „Hoc custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cuius sacramenti tanta observatio est, ut cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminae vel ducantur uxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius saeculi . . ., sed lege evangelii reus est adulterii, sicut etiam illa, si alteri nupserit. Et usque adeo manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se coniuges qui ab alterutro separati sunt, quam cum his quibus aliis adhaeserunt: cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent.“ [1])

Hieronymus: „Responde non nostram, sed Apostoli sententiam: ergo vivente viro adultera erit etc., et in alio loco: mulier alligata est legi etc. Omnes igitur causationes Apostolus amputans apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit . . . Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter haec scelera derelictus maritus, eius

---

[1]) Augustin. De nupt. et concup. 1, 11. — Experitur quidem Augustinus in hac quaestione difficultatem aliquam, non tamen in re ipsa, sed et in explicandis verbis Christi „nisi ob fornicationem“ et in reddenda ratione interna; quae ipsa difficultas ostendit, quantopere de quaestionis substantia certus fuerit.

reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus haec propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio: qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari, et qui dimissam acceperit, adulter est. Sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa est, adulter est, qui eam acceperit.“ [1])

Chrysostomus: „Vide quanta cum diligentia verborum usus sit proprietate. Non enim dixit: cohabitet viro quoad vixerit, sed mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: atque adeo etiamsi libellum repudii det, etiamsi domum relinquat, etiamsi ad alium abeat, legi adstricta adulteraque est. Quando igitur vir eiicere vult uxorem aut uxor relinquere virum, huius memor sit dicti et Paulum putet esse praesentem et clamantem: mulier adstricta est legi; quae autem serva est et subdita legi, etiamsi millies libellum repudii accipiat, adulterii ligabitur lege. Ne mihi leges ab exteris conditas legas; neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit.“ [2])

Similiter Cyprianus, Tertullianus, Origenes, Clemens Alex., Iustinus Martyr, Hermas. [3])

2. Matrimonium indissolubile est iure *primitivae institutionis.*

Dicimus, etiam iure *primitivae institutionis* matrimonium esse indissolubile. Cum autem institutionis legi omnia subsint matrimonia, indissolubile est per se, sc. nisi ab huius legis auctore fiat dispensatio, matrimonium *quodlibet.* Dispensatio vero haec, cum non constet facta esse nisi prae matrimoniis Iudaeorum in V. T., *infidelium* quoque matrimonium indissolubile esse dicendum est. Atque hoc uti *certum* habetur. A Concilio enim Tridentino id satis aperte docetur, cum ait: „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: hoc nunc os de ossibus meis etc.“ Id ipsum clare docet Leo XIII (Encycl. ‚Arcanum‘) inquiens: „Illa viri et mulieris coniunctio vel ex eo tempore duas potissimum easque in primis nobiles quasi alte impressas et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem.“

Rem ita esse, ex *Christi* verbis probatur: „Accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum et dicentes: Si licet homini dimittere uxo-

---

[1]) Hieronym. Epist. 55 ad Amandum.

[2]) Chrysost. Sermo de lib. repudii.

[3]) Difficultatem aliquam facessunt pauca Patrum testimonia aliqua, de quibus testimoniis satis obscuris cf. Palmieri, De matrim. th. 18. — Ceterum in hac re, cum Ecclesiae definitio nulla exstaret, et leges civiles et usus Graecorum veritati adversarentur, mirum non est potuisse aliquos etiam Patres ancipites haerere.

rem suam quacunque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem *ab initio*, masculum et feminam fecit nos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt *duo in carne una* (וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν): itaque iam non sunt duo, sed *una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses *ad duritiam cordis vestri* permisit vobis dimittere uxores vestras: *ab initio autem non fuit sic.* Dico autem vobis: quia quicunque dimiserit uxorem suam etc.“ (Matth. 19, 3 sq.)

Iam vero his verbis a. ipse auctor coniunctionis viri et mulieris, Deus, ita ab initio duos dicitur voluntate efficace coniunxisse atque generationis unum constituisse principium, ut nulla humana potestate possint separari, b. oppositione instituta inter veniam quandam factam a Moyse dimittendi uxorem et primitivam Dei institutionem, illam dimissionem Christus docet repetendam esse ex permissione facta propter aliquid quod esse non debebat, ab initio vero nullam fuisse huiusmodi dimissionis licentiam eamque a se Christo revocari atque irritari, sc. verbis ipsis: „Quod Deus coniunxit, homo non separet“, et illis aliis quibus se Moysi opponens ait: „Dico autem vobis, quicunque dimiserit etc.“

Ergo iure primitivae institutionis matrimonium indissolubile est.

3. Matrimonium indissolubile est *iuris naturae* non quidem praeceptis primis, sed secundis.

Dicimus, aliquo sensu ipso *naturali* iure matrimonio omni asserendam esse indissolubilitatem. Distinguenda videlicet sunt, quemadmodum in superiore thesi audivimus, iuris naturalis praecepta primaria, quae exigunt id quod essentiale est, et praecepta secundaria, exigentia id quod magis est congruum. At vero *primariis* praeceptis non prorsus adversari matrimonii solubilitatem omnino concedendum esse videtur. Sed adversatur solubilitas matrimonii iuris naturae praeceptis *secundariis*, scilicet solubilitas saltem ea quae pendeat ab ipsorum coniugum arbitrio. Qua in re semper retinendum est, dissolubilitatem eam, quae ex quolibet motivo ab ipsis coniugibus pendeat, cum ea ipsa matrimonii essentia tollatur, primariis naturae iuribus omnino repugnare. Exigi vero illam dictam matrimonii indissolubilitatem naturae iuribus saltem secundariis, manifeste colligitur ex Syllabi propositione damnata 67, quae sic habet: „Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.“

1. Praeceptis *primis* matrimonii solubilitas non repugnat.

a. Finis matrimonii, sc. prolis generatio atque educatio, quamvis non cum omni, cum aliqua tamen eius solubilitate componi potest.

b. Iudaeis divina dispensatione dicendum videtur fuisse permissum, ut aliquando ipsum matrimonii vinculum dirimeretur; siquidem teste Christo in oppositione ad primitivam institutionem Iudaeis permissio facta est dimittendi uxorem cum mandato libellum repudii tradendi (Matth. 19, 7), et in casu, quod quis libello repudii tradito uxorem dimiserit, in textu originali praecipitur: „non poterit maritus prior, qui dimisit eam, rursus accipere eam, ut sit ei in uxorem, postquam polluta est, quia abominatio est coram Domino" (Deut. 24, 1 sq.)[1])

2. Praeceptis *secundis* iuris naturae matrimonium indissolubile est.

Quod probat Leo XIII multiplicibus, quae divortium sequuntur, enumeratis malis (Encycl. ‚Arcanum'): „Quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. — Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos aut ante provisos limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans." Cuius rei testem Pontifex deinde appellat omnium temporum experientiam.

---

[1]) Permissio illa Iudaeis facta est ad vitandum malum peius. Ne vero aestu furoris quodam primo dimissio fieret, libello scripto et tradito impediebatur. Causa autem in lege ipsa exhibebatur „res foeda", i. e. gravis turpitudo moralis fidei coniugali adversa; quam quidem rem schola Hillelis laxius, schola Schammai strictius interpretabatur. Immerito autem quidam theologi maxime veteres negaverunt, libello repudii ipsum matrimoniale *vinculum* valide fuisse solutum. Cf. Palmieri, De matrim. th. 16.

Obiiciuntur mala, quae tum ipsis coniugibus tum etiam fini matrimonii principi, sc. proli, ex eius indissolubilitate haud raro evenire contingat. Ad quae omnia haec brevis valet responsio:

Respondetur a S. Thoma: „Matrimonium ordinatur ad bonum *commune* ratione principalis finis, qui est bonum prolis; quamvis etiam ratione finis secundarii ordinetur ad bonum personae matrimonium contrahentis, prout per se est remedium concupiscentiae. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur, quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit.“ [1])

SCHOLION **1.** Dicendum nunc est de matrimonii dissolubilitate *externa*, seu de ea quae est ex potestate superioris. Iam vero cum, quemadmodum audivimus, omne matrimonium a Deo ipso institutum sit indissolubile, si hominibus competat potestas matrimonii solvendi, eam manifestum est non posse esse nisi potestatem *divinitus* collatam eamque non esse admittendam nisi inquantum et quibus divinitus collata esse probata fuerit. Quaeritur ergo, utrum et quando Deus hominibus matrimonii dissolvendi fecerit potestatem.

1. Matrimonium *ratum et consummatum* etiam extrinsecus est indissolubile. Rem ita esse inde patet, quod Ecclesia non solum ignorat factam sibi esse potestatem istiusmodi matrimonii solvendi, verum etiam diserte negat, illud posse unquam quacunque ex causa dissolvi. Tempore Gregorii M. dicebantur fuisse inter Graecos nonnulli, qui „sub obtentu religionis coniugia solverent“. Quos Gregorius anathematizat docens illud, etsi lege humana concedatur, lege divina prohiberi.[2]) — Ratio vero huius perfectae indissolubilitatis in eo videtur esse sita, quod cum indissolubilitas potissimum pendeat a re significata, matrimonium illud modo perfectissimo significat rem maxime indissolubilem, i. e. Christi cum Ecclesia sua unionem, sc. „quantum ad assumptionem humanae naturae in unitatem personae, quae omnino est indivisibilis“ [3]).

2. Matrimonium *ratum* a. solvitur professione religiosa; b. ob alias causas graves solvi potest per auctoritatem Romani Pontificis.

a. „Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per *solemnem professionem religionis* alterius coniugum non dirimi: a. s.“ (Conc. Trid. Sess. 24 c. 6). Quod idem prius iam docuerant Alexander III et Innocentius III. — Dicitur: „*professione*“ solvi matrimonium; ideoque non ingressu in religionem aut habitus religiosi susceptione. Dicitur: „professione *solemni*“; unde non professione in congregatione religiosa cum votis simplicibus, nec professione simplici in ordine religioso votorum solemnium, quae fit post novitiatum.[4])

---

[1]) S. Th. Suppl. q. 67 a. 1 ad 4.

[2]) Gregor. M. Epist. 11, 45.

[3]) S. Th. Suppl. q. 61 a. 2 ad 1.

[4]) Nec ea professione qua vota simplicia in Societate Iesu nuncupantur, quamvis haec ultima professio ex privilegio speciali vim habeat dirimendi matrimonium contrahendum.

Rem *ita esse* colligitur ex praxi Ecclesiae. Referuntur huc exempla S. Theclae, S. Caeciliae, S. Alexii, Ecfridi regis, ex quibus patet existimatum fuisse antiquitus, licere coniugi post initas nuptias, antequam conventum sit, alterum relinquere coniugem propter perfectiorem vitam in statu virginitatis sequendam.

Quo vero *iure* sit haec matrimonii rati solutio, disputant theologi. Alii volunt, cum professionis solemnitas sit iuris ecclesiastici, etiam solutionem matrimonii, quam efficiat, ex solo ecclesiastico iure dicendam esse. Alii verosimilius ipsam matrimonii solubilitatem huiusmodi esse immediate iuris divini existimant, ita quidem, ut Deus dicatur eam tum in genere statuisse pro statu quo quis per consiliorum evangelicorum observationem Deo se nuncupat, tum in ea specie, quae huius status est perfectissima; relinquendo, quod imperfectiores spectat species, Ecclesiae determinandum, quaenam ex eis ad effectum illum producendum sufficiat. Audiatur Benedictus XIV: „Clarissime ostenditur ex can. 6 sess. 24, ubi anathema profertur adversus asserentes matrimonium ratum non solvi per professionem religiosam: si enim post hunc Tridentinum canonem de fide est, coniugium ratum solvi per professionem, solubilitas debuit esse imposita a solo Deo, qui eam potuit facere sempiterne veram.“ [1])

Ratio denique *congruentiae* est: quia non solum nihil obstare videtur, nec sc. bonum prolis, quae matrimonio nondum consummato nulla est, nec grave alterius coniugis damnum ullum, quippe qui alias possit inire nuptias; verum etiam ipsa ratio exigere dicenda erit, ut iuri suo cedat coniux, quando alter eum amplectatur statum, quo perfecte moriatur mundo totusque Deo consecretur.

b. „Nulla de potestate *Summi Pontificis* moveri amplius potest quaestio in eo quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa inter theologos et canonistas sit communis et in praxi recepta, uti notorium est.“ [2])

Exempla huiusmodi dispensationis inde ab Alexandro III, qui in casu affinitatis supervenientis matrimonium ratum solvit, narrantur plura et modo satis frequentia sunt. — Potestas vero haec est potestas vicaria Dei. Exiguntur quidem causae graves ut fiat dispensatio; at hae facile adesse possunt, et praxis est nunc Congregationum Romanarum, ut, ubi extra dubium positum est, matrimonium non fuisse consummatum, dispensatio petita semper concedatur. *Causae* vero istiusmodi graves enumerantur: animorum discordia talis ut reconciliationis spes nulla appareat, timor discordiarum inter cognatos vel scandali futuri, suspicio impotentiae alterutrius coniugis, morbus contagiosus, periculum perversionis, aliud matrimonium civile, mutuus consensus.

3. Matrimonium etiam *consummatum infidelium* solvi potest a. privilegio Paulino; b. aliquando in fidei favorem auctoritate Romani Pontificis.

---

[1]) Benedict. XIV, Qu. can. 546.
[2]) Benedict. XIV, l. c. 479.

a. „Certum est, *infidelium* coniugium (etiam *consummatum*) ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum 1 Cor. 7 promulgato dissolvi, cum coniugum alter christianam fidem amplectitur renuente altero cohabitare cum converso aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis coniugis fidelis vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi et christianae religionis despicientia.“ [1]) — Id ipsum, significatum iam ab Ambrosio et Chrysostomo, inde ab Innocentio III a Romanis Pontificibus et frequenter assertum et praxi semper observatum est.

Teste porro Innocentio III *colligitur* hoc privilegium ex verbis *Pauli*, unde privilegium *Paulinum* dicitur. Verba Pauli haec sunt (1 Cor. 7, 12 sq.): „Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentiat habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. *Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi;* in pace autem vocavit nos Deus.“

Iam vero ex his verbis sic arguitur. Vel verba „ceteris ego dico, non Dominus“ cum plerisque interpretibus referuntur ad sequentia, ita ut „ceteri“ sint qui matrimonio iuncti sunt infidelibus: et in hac hypothesi eo ipso quod non-dimissio, de qua in sequentibus, non dicatur praecepta a Domino, sed ex Apostoli esse consilio, significatur implicite dimissionem a Deo non prohiberi, sed permitti; id quod deinde etiam explicite asseritur verbis: „si discedit, discedat“. Vel verba illa cum Estio et Cornelio a Lapide ad praecedentia referuntur, ita ut „ceteri“ sint innupti, et a verbis „Si quis“ alia sequatur quaestio: tunc et praeceptum Domini sequentibus potest exhiberi et verbis „discedat, non est enim fidelis subiectus servituti in huiusmodi“ — potestas fit fideli infidelem coniugem ita relinquendi, ut matrimonium solvatur.

Causam vero huius solubilitatis sic egregie explicat S. Bonaventura: „Solutionem matrimonii in infidelitate tria faciunt: primum est ipsius *imbecillitas*, secundum est *cultus disparitas*, tertium *Creatoris* vel *matrimonii iniuria*. Primum reddit *possibile* ad dissolutionem, secundum *disponit*, tertium *dissolvit*. — Matrimonii imbecillitas est ratione significationis imperfectae, quam habet apud infideles, et ratione defectus baptismi; cultus disparitas est secunda ratio, quia tunc advenit alteri personae fortius vinculum; iniuria matrimonii sive Dei est, cum non vult cohabitare aut non sine contumelia Creatoris, et tunc vinculum illud solvitur, quia repugnat vinculo, quo fidelis alligatur Deo.“ [2])

De *iure* atque origine, cuius sit hoc matrimonii solvendi privilegium, non consentiunt theologi. Alii communius indolem illius privilegii ita ex-

[1]) Benedict. XIV, De syn. dioec. 6, 4.
[2]) Bonav. 4 dist. 39 a. 2 q. 1.

plicant, ut a *Deo immediate* datum sit et ab Apostolo tantummodo promulgatum. Atque haec sententia maxime innititur in instructionibus Romanarum Congregationum. Ita v. g. legitur in decreto S. Congreg. Officii et de Propag. Fide 11 iulii 1886: „Matrimonium etiam in infidelitate contractum natura sua est indissolubile et tunc solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei a *Christo Domino concessi* et per *Apostolum Paulum promulgati*, quando etc.“ Alii contra, maxime qui verba Apostoli „ego dico, non Dominus“ ad sequentia referunt, volunt privilegium, quamvis eo sensu divinum sit dicendum, quod iure divino favor fidei sit causa matrimonii solvendi, tamen ipsum immediate ex *auctoritate Apostoli* esse utique divinitus commissa; quae quidem sententia inde etiam suadetur, quod, ut videbimus, Romano Pontifici asserenda est potestas matrimonii infidelium solvendi aliis quoque ex causis.

Valere dicendum est privilegium Paulinum non quidem de catechumenis (S. Congr. de Prop. Fide 16 ian. 1683), sed de *baptizatis* omnibus, atque adeo etiam de illo infideli, qui ad sectam christianam *acatholicam* transierit, modo baptismum rite suscipiat; quia datum est illud in favorem fidei christianae ac baptismi.[1] Non vero valet, teste Innocentio III et Concilio Tridentino, si coniux fidelis ad infidelitatem transierit; quia tunc sacramenti dignitas ac firmitas praevalere dicenda est.

Animadvertendum vero est, prius matrimonium *de facto* non solvi nisi cum alterum contrahitur. Colligitur id ex cap. ‚Gaudemus‘, ubi, si etiam alter coniux convertatur, antequam secundum matrimonium sit contractum, matrimonium illud non solvi docetur. Clare vero idem statuitur decreto S. Congreg. Officii et de Propag. Fide 11 iulii 1886, ubi haec leguntur: „Iuxta divinum privilegium (Paulinum) coniugem conversum ad fidem in ipso conversionis puncto non intelligi solutum a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc, si coniux infidelis renuat, acquirere ius transeundi ad alias nuptias cum tamen coniuge fideli; ceterum tunc solum coniugii vinculum dissolvi, quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias.“

Per se denique patet, integrum non esse coniugi converso transire ad alia vota, priusquam infidelis *interpellatus* aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia.[2] Cum vero ex praxi Ecclesiae inter nationes *christianas* fideli coniugi non iam liceat cohabitare cum infideli, hic etiam si voluerit cohabitare, matrimonium ibi semper solvi posse videtur.[3]

b. *Romanus Pontifex* pro sua suprema potestate ex gravi ratione in fidei favorem solvere potest vinculum matrimonii in infidelitate consummati.

Cuiusmodi solutionis locus est, cum v. g. coniux abest et ubi sit ignoratur, et cum plures uxores quis habuerit nesciens quae sit legitima.

---

[1] Cf. ‚Katholik‘ 1883, 280.

[2] Benedict. XIV, l. c.

[3] De his aliisque quaestionibus ad ius canonicum potius quam ad theologiam dogmaticam spectantibus cf. inter alios Gasparri, Tract. de matr. 2, 1084 sq., et Santi-Leitner, Prael. iur. can. 4 tit. 19.

Concluditur eiusmodi potestas ex responsis datis a Pio V et a Gregorio XIII in causa missionis Indiarum. Gregorius XIII haec habet: „Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri ut necessitate suadente dissolvi non possint, singulis dictorum ordinariis et parochis concedimus facultatem dispensandi cum quibuscunque utriusque sexus christifidelibus incolis dictarum regionum, ut eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli et eius consensu minime requisito, responso non exspectato, matrimonia cum quovis fideli, alias tamen rite, contrahere et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint remanere licite valeant.“ Sunt quidem, qui his Pontificum verbis nihil aliud contineri existiment quam specialem aliquam privilegii Paulini applicationem nec proinde peculiarem Pontificis Romani hac in re potestatem agnoscant. Verum illis verbis Romani Pontifices non videntur voluisse solum interpretari privilegium Paulinum dispensando a rigore interpellationum. Nam alia prorsus est causa a casu Apostoli; fit enim illis verbis potestas solvendi matrimonium, quamvis de mente coniugis infidelis non constet: ergo potestate a Deo delegata matrimonium Pontifices solvisse dicendi sunt. At vero in Romano Pontifice ab exercitio huiusmodi potestatis concludi oportebit, eum hac potestate pollere.[1])

2. Dicendum superest de *divortio imperfecto,* seu de *separatione* solius *tori* et *cohabitationis.* Contra Protestantes docentes hanc separationem fieri non posse nisi ob adulterium solum, Concilium Tridentinum definivit (Sess. 24 c. 8): „Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit: a. s.“

Causae hae ad tria genera revocantur: *consensum, periculum grave animae* aut *corporis, crimen.* Crimen distinguitur triplex: *adulterium, apostasia* (ad infidelitatem, haeresim, schisma), *seductio* ad peccatum. *Adulterium* porro est causa separationis matrimonii propria eique interna atque perpetua, cum ceterae causae sunt aliis societatibus communes nec per se perpetuae; quae ratio est, cur Christus Matth. 5, 32 solius fornicationis mentionem faciat. Ceterum etiam reliquae causae in ipsa sacra Scriptura innuuntur: mutuus consensus Matth. 19, 29: „qui reliquerit uxorem“; crimen 1 Cor. 7, 11: „quodsi discesserit“; apostasia Tit. 3, 10: „haereticum hominem devita“; causa seductionis Matth. 18, 9: „si oculus tuus scandalizat te, erue eum“.

Separatio quoad solum *torum,* cum res sit privata, propria coniugum voluntate fieri potest; separatio quoad *cohabitationem,* cum publica sit res, solo Ecclesiae iudicio.[2])

---

[1]) Cf. Biederlack in ‚Zeitschrift für kath. Theol.‘ 1883, 304 sq.

[2]) Etiam iuxta Codicem civilem *Germanicum* separatio solius tori et cohabitationis a iudice decerni potest; verum tunc solum, quando coniux uterque in eam consentit (§ 1575).

Caput IV.

De potestate Ecclesiae in matrimonium christianum.

Quaeritur de potestate in matrimonium, maxime autem in matrimonium christianum, si quae est hominum; praecipue vero de istiusmodi potestatis subiecto.

Thesis 9.

Potestas in vinculum matrimonii christiani Ecclesiae competit eique soli ita, ut iure proprio et exclusivo possit impedimenta statuere matrimonium dirimentia et causas matrimoniales ad suum tribunal vocare.

Novatores saeculi 16 matrimonium rem profanam esse docentes Ecclesiae in matrimonium quamcunque negaverunt potestatem atque ideo ius quoque statuendi impedimenta dirimentia. Quos secuti sunt saeculo 17 Marcus Antonius de Dominis, archiepiscopus Spalatensis, et Ioannes Launoyus, doctor sorbonicus, matrimonium ipsamque Ecclesiam civili subiicientes potestati. Hinc theologi et canonistae curiales seu regalistae omnes soli civili potestati tribuunt causas matrimoniales quaslibet, vel, qui ex ipsis temperantiores videntur, ita rem inter utramque dividunt potestatem, ut quae contractus sint ad civilem, quae sacramenti ad ecclesiasticam auctoritatem pertinere statuantur. Atque hoc veluti axiomate recentes etiam inter nationes christianas de matrimonio leges latae civiles fere omnes innituntur.

Doctrina *catholica* est, potestatem in vinculum matrimonii christiani, quaecunque est, omnem esse penes Ecclesiam, idque ita, ut Ecclesia eam habeat et iure proprio et iure exclusivo; hinc posse Ecclesiam statuere impedimenta matrimonium baptizatorum dirimentia, et causas matrimoniales apud christianos ad solos iudices ecclesiasticos spectare. Concilium Tridentinum (Sess. 24 c. 4 et 12) ius ipsum Ecclesiae definivit: „Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia vel in iis constituendis errasse: a. s." „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos: a. s." Ius porro istud Ecclesiae proprium esse eique competere soli, ex demonstratione theseos patebit.

DEMONSTRATUR: Ecclesiae in matrimonii christiani vinculum ius competit *proprium* et *exclusivum*.

1. Probatur ex *ratione theologica* seu ex indole matrimonii hucusque demonstrata.

Matrimonium, ut *contractus* est, per se est contractus *naturalis* et, quemadmodum omnem praecessit societatem, etiam absque ullius publicae potestatis interventu iniri poterat. Verum matrimonium est contractus humanus, ac proinde actus hominis ordinati ad altiorem finem ac nunc viventis in societate, et idcirco necessario subordinatur alicui communitati, cuius homo est pars et a qua pendet quantum ad omnem politicam operationem. Ergo qui in *societate* existentes homines matrimonia contrahunt, cum societati ius sit ad bonum commune legibus determinandi quae natura ipsa non satis sint determinata, eorum non secus ac reliqui iuris naturae contractus etiam matrimonia *publicae auctoritati* societatem regenti subordinantur. Eo vero haec circa matrimonia potestas maxime redibit, ut statuantur conditiones, quae adimpleri debeant, ut personae contrahentes ad valide contrahendum sint idoneae, vel, quod idem est, ut ipse mutuus consensus legitimus sit atque ideo efficax.

Christianorum porro matrimonium *sacramentum* est. Potestas autem in sacramenta societati, cui ea concredita sunt, admittenda est certe aliqua; non quidem potestas in materias et formas sacramentorum a Christo institutas et quatenus ab ipso determinatae sunt, sed potestas tum statuendi quae requirantur, ut licite sacramentum administretur, tum ferendi authentice iudicium de sacramenti alicuius existentia ac valore. Animadvertendum porro est ex antecedentibus, materiam et formam sacramenti matrimonii non esse consensum quemcunque, sed consensum *efficacem* iuxta leges etiam societatis, a qua matrimonium regitur. Quamobrem cum, ut consensus valeat, ex praescriptis auctoritatis publicae id pendeat, eo ipso etiam, quae matrimonii acramenti sit forma ac materia legitima, ab iisdem praescriptis dependebit. Quodsi ergo auctoritas haec consensum aliquem irritaverit, etiam circa sacramenti formam ac materiam decrevisse dicenda erit, non autem formaliter, sed materialiter tantum et remote. [1]) Ergo hac etiam ex parte potestas in valorem matrimonii, quae est, non tam in ipsum vinculum quam in consensum, qui per se validus vel invalidus esse potest, seu in personas, quae per se habiles vel inhabiles esse possunt, immediate ferri dicenda est. Iam vero Ecclesia est societas illa, cui in sacramenta competit potestas. Ergo Ecclesiae est potestas in matrimonium christianum.

At denique matrimonium christianorum *necessario* sacramentum est; idque ita ut contractus et sacramentum sint *una eademque res*

---

[1]) „V. g. si Ecclesia posset efficere, ut haec vox ‚corpus‘ non significaret corpus, et illud efficeret, tunc verba ‚hoc est corpus meum‘ non essent forma consecrationis, non tamen Ecclesiae variaret formaliter et proprie sacramenti formam, sed materialiter.“ Sanchez, De matr. l. 3 disp. 4.

nec ullo modo dissociari possint. Ergo potestas in contractum matrimonialem esse non poterit, nisi sit simul potestas in sacramentum. At vero potestas in sacramenta penes *Ecclesiam* est, atque ita penes Ecclesiam, ut penes ipsam *solam* sit nec ullo modo auctoritati civili competat. Ergo etiam in contractum matrimonialem potestas omnis Ecclesiae tribuenda est eique soli. Hinc tandem Ecclesiae est solius statuere quae ad ipsum spectant vinculum matrimoniale, quod ex contractu ac sacramento exsurgit, ideoque Ecclesiae solius est, proprio iure impedimenta statuere matrimonium christianum dirimentia et causas circa vinculum matrimoniale ad suum tribunal vocare.

2. Probatur ex *doctrina* et *praxi* Ecclesiae.

Ipse imprimis *Christus* (Matth. 5, 32; 19, 9; Marc. 10, 2 sq.; Luc. 16, 18) et *Paulus* Apostolus (1 Cor. 7, 12 sq.) circa matrimonii vinculum leges tulerunt.

Inde ab ipso aevo Apostolico sacrosanctum habebatur, quod coniugia a fidelibus *non inirentur nisi iuxta normam ab Ecclesia praescriptam.* Audiatur S. Ignatius: „Decet, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi (μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου) coniugium faciant; quo nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem.“ [1])

Iam antiquitus *ab Ecclesia impedimenta statuta* sunt matrimonium christianorum dirimentia, idque ita ut nullus appareat concursus auctoritatis civilis. Sic Concilium Eliberitanum (a. 305) statuit: „Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit *incestus,* placuit nec in fine dandam esse ei communionem.“ Concilium Neocaesareense (a. 314): „Femina si duobus nupserit fratribus, extrudatur usque ad mortem; sed in morte propter humanitatem, si dixerit, quod, ubi convaluerit, *solvet* matrimonium, habebit poenitentiam.“ [2]) Cyprianus de virginibus Deo consecratis coniugium ineuntibus haec habet: „Si obstinate perseverant nec *se ab invicem* separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione nunquam a nobis admitti in Ecclesiam posse.“ [3]) Pariter Ambrosius vel alius auctor de virgine, quae „sanctum velamen accepit“: „Etiam si voluerit nubere communi lege connubii, *adulterium* perpetrat, ancilla mortis efficitur.“ [4])

Imo *contra leges civiles* Ecclesia de matrimonii valore decreta condidit. Sic S. Calixtus I († 223) matrimonium inter servum et liberum, deinde alii Pontifices etiam servorum matrimonia, quae

---

[1]) Ign. Polyc. 5.
[2]) Cf. Basil. Epist. 160, 2.
[3]) Cyprian. Epist. 60.
[4]) Ambros. Sermo ad virg. lapsam, 5.

quidem coniugia lege civili irrita habebantur, valida ac rata declaraverunt.

Leges a Constantino, Theodosio, Valentiniano, Iustiniano principus saecularibus latas, quibus solutio vinculi permittebatur, Romani Pontifices, v. g. Innocentius I, *irritas* esse declarant utpote iuri christiano oppositas, et adulteros vocant coniuges, qui secundum illas leges soluti aliis coniungantur.

Ipsi *principes saeculares* Ecclesiae in matrimonia christiana ius *agnoverunt*. Iustinianus, quantumvis potestatis civilis augendae avidus, legibus suis profitetur insistere iis, „quae sacris canonibus definita sunt". Pipinus rex ad leges de matrimonio ferendas a Zacharia Papa normam petit, „iuxta quod a S. Patribus traditum habemus et sacrorum canonum sanxit auctoritas" [1]).

Concilium Tridentinum *ius Ecclesiae impedimenta dirimentia statuendi* et *causas matrimoniales iudicandi* canonibus supra allatis solemniter *definivit*. — Manifestum autem omnino est nec ullo modo negari potest, hos canones Tridentinos *dogmaticos* esse; illis enim de iure agitur Ecclesiae deque Ecclesiae in hoc iure asserendo infallibilitate, nec damnatur inobediens, sed contradicens. Ineptum vero est prorsus quod fingit Launoyus, nomine sc. ‚Ecclesiae' hic intelligi ‚saeculi principes', qui illam potestatem exerceant. Unde in Syllabo damnatur haec prop. (70): „Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de mutuata potestate intelligendi sunt."

Pius VI hoc ius in matrimonia christiana Ecclesiae *proprium* esse declaravit damnans Pistoriensium propositionem (59) oppositam: „Doctrina synodi asserens, ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimentia eius generis quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia, quod ius originarium praeterea dicitur cum iure dispensandi essentialiter connexum, subiungens, supposito assensu vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia, ipsum contractum matrimonii, quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium in eisdemque dispensare: canonum 3, 4, 9, 15 sess. 24 *Concilii Tridentini eversiva, haeretica.*" — Idem Pius VI

---

[1]) Cf. plurima de matrimonio ab Ecclesia lata decreta apud Palmieri, De matr. ‚Appendix'.

in Brevi 2 febr. 1782 ad archiepiscopum Treverensem dato ex definitione Tridentina sic arguit: „Cum nullo unquam tempore dogma fidei falsum esse possit, necesse est ut ab Ecclesiae origine et omni anteacto tempore verum fuerit et omni consequenti aetate verum futurum sit, Ecclesiam ea, quae a Concilio asseritur, potestate pollere. At si tacita saltem principum requireretur ad eam habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Ecclesiae temporibus, sub principibus nimirum ethnicis, verum esse non potuisse neque hoc tempore verum esse posse illis locis, in quibus christifideles degunt sub infidelium dominatione; et si ob aliquam, ut vocant, rationem status principes revocata ea, quae obtenditur, indulgentia et concessione abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset, ut verum esse desineret quod a Tridentino definitum est, idque portenti existeret, ut aliquando dicendum foret, Ecclesiam non posse, quod Ecclesiam posse Spiritus Sanctus oecumenicae Synodi oraculo declaravit.“ Cf. Syll. prop. 68, 69, 70.

Hoc Ecclesiae ius *exclusivum* esse colligitur ex canone 12 Tridentino et declaratur a Pio VI (ad episc. Motulensem) explicante canonem illum: „Dogma est fidei, ut matrimonium post Christi adventum evaserit unum ex septem legis evangelicae sacramentis . . . Hinc fit ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferre.“ Pius IX hoc idem brevius in Syllabo hanc damnans propositionem (74): „Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent“.

Audiatur demum *omnia praecedentia argumenta* complexus Leo XIII (Encycl. ‚Arcanum‘): „Cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte *sacrum*, consentaneum est ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. — Deinde consideranda *sacramenti* dignitas est, cuius accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere, ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. — Postremo magnum pondus est, magna vis *historiae*, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et iudicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudi-

nem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Iudaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! Neque illud unquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine coniugii, de nuptiis servos inter et ingenuos, tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et caede religionem Christi opprimere adolescentem; praesertim cum ius illud ab Ecclesia profectum a civili iure interdum adeo dissideret, ut Ignatius Martyr, Iustinus, Athenagoras et Tertullianus, tamquam iniustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant. — Postea vero quam ad christianos imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et episcopi in concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque iuris sui, de matrimoniis iubere vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in conciliis Eliberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II aliisque fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis iure imperatorio sancitis longe saepe distarent. — Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate; cuius ipsius iudicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium, de divortiis, denique de rebus omnibus cum coniugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus. — Igitur iure optimo in Concilio Tridentino definitum est, in Ecclesiae potestate esse impedimenta matrimonium dirimentia constituere, et causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare.

Neque quemquam moveat illa tantopere a regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento disiungunt, eo sane consilio ut Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. Etenim non potest huiusmodi distinctio probari (cf. supra p. 192). Quapropter nec ratione efficitur nec teste temporum historia comproba-

tur, potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicae esse iure traductam. Quodsi hac in re alienum violatum ius est, nemo profecto dixerit, esse ab Ecclesia violatum."

— Ex omnibus hucusque probatis patet, potestatem in matrimonii christiani vinculum ita competere Ecclesiae, ut nec, quod eius inimici impie dicunt, illam usurpaverit, nec, quod inepte statuit van Espen, ex principum indulgentia exercuerit, nec tandem, quod aliis placet etiam inter catholicos, ideo habeat sola, quia iure positivo eam sibi reservaverit [1]), sed omnino propriam possideat ex ipsa matrimonii christiani indole necessaria atque ideo iure divino.

OBIICIUNTUR contra potestatem Ecclesiae in vinculum matrimonii christiani, maxime prout propria et exclusiva esse asseritur, plura, quae magnam partem iam praeoccupata sunt. Pauca addantur:

1. Matrimonium omne in bonum est societatis civilis; ergo auctoritati civili subiicitur.

Resp.: Subiicitur, ut infra videbimus, quantum ad effectus civiles C, quantum ad ipsam essentiam, quae quidem in matrimonio christiano necessario est sacramentum N. — Nec verum est, quidquid in bonum cedat societatis civilis, id etiam civili subiici auctoritati; secus enim, quae maxime ab ea est independens, ipsa fides christiana ei subesse dicenda foret.

2. Principes, Ecclesia non reluctante, potestatem circa matrimonia christiana aliquando exercuerunt.

Resp.: Principes eam potestatem exercuerunt iure, quod Ecclesia ipsis agnoverit, nativo N, ita ut ipsa Ecclesia leges a principibus latas vel suas fecerit vel etiam, quamvis non probaverit, tamen nonnunquam tacens permiserit C.

3. S. Thomas haec habet: „Inquantum matrimonium est sacramentum, statuitur iure divino; inquantum est in officium communitatis, statuitur lege civili." [2]) Similiter Petrus de Soto, Catharinus, Sanchez aliique.

Resp.: Doctores isti vel agunt de matrimonio naturali, quod non sit sacramentum, vel si de matrimonio sacramento, de alia et alia potestate Ecclesiae et principum, sc. alia quantum ad essentiam, alia quantum ad effectus civiles, vel scribentes ea aetate, qua quaestio de matrimonii sacramenti essentia nondum satis eliquata erat, parum accurate locuti sunt. [3])

COROLLARIUM **1.** De matrimonio christianorum diximus. Iam vero quaeritur de potestate Ecclesiae in matrimonia *haereticorum* et *schismaticorum*. Duplex autem hic distinguitur quaestio: *iuris* et *facti*.

a. Ad quaestionem *iuris* quod spectat, patet haereticos et schismaticos, cum *baptizati* sint atque adeo christiani, per se iisdem legibus matrimonialibus subiici. Testatur id diserte Pius VII (Ep. ad archiep. Mogunt.): „Quid dicendum erit de illorum sententia, qui iactant haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici atque inde posse illos novo coniugii foedere copulari, si

---

[1]) Sic inter recentiores *Schnitzer*, Kath. Eherecht, p. 46 sq.

[2]) S. Th. Suppl. q. 50 a. 1 ad 4; cf. C. gent. 4, 78.

[3]) Cf. Palmieri, De matr. th. 33.

primum publicae auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt? Adversus illam clamant Scripturae, Concilia, Traditio denique universa. Omnium instar sit Tridentina Synodus, quae (Sess. 24 c. 2) non baptizatos a baptizatis distinguens illos tantum Ecclesiae iudicio proindeque legibus non subiici affirmat, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Hi baptizati ergo Ecclesiae filii quamquam rebelles et transfugae eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur; quare suam in illos potestatem exercere nunquam praetermisit Ecclesia potestate sibi divinitus tradita, quemadmodum infinitis propemodum monumentis testatum est."

b. Alia porro quaestio est *facti*, an sc. Ecclesia legibus suis et quibusnam velit haereticos obligari. Generatim, uti ex dictis iam patet, respondendum est Ecclesiam etiam haereticos obligare velle. Sed controversia est aliqua circa impedimentum *clandestinitatis* a Concilio Tridentino statutum. Certum porro videtur, hac lege noluisse Patres Tridentinos ligare illos, qui tempore promulgationis erant iam coetus religiosi separati, quemadmodum colligitur ex Constitutione Benedicti XIV a. 1741, qua valida esse definivit matrimonia haereticorum in Hollandia et Belgio etiam citra formam Tridentinam, addita utique conditione: „dummodo non obstiterit aliud canonicum impedimentum". Quantum ad reliquos haereticos decretum Tridentinum eo ipso videtur dicendum valere, quod cum illis ab impedimento clandestinitatis a Romanis Pontificibus subinde dispensatum est.

2. Quaeritur de matrimonio *infidelium*. Qui cum non sint in Ecclesia, nec matrimonia eorum Ecclesiae subsunt potestati. Quaeritur itaque, utrum civilis auctoritatis in *infidelium* matrimonia admittenda sit potestas, qua impedimenta ea dirimentia statui possint. Affirmant veteres fere omnes et ex recentioribus Ballerini, Lehmkuhl, Sasse aliique plurimi; negant Perrone, Taparelli, Feije. Nobis cum Palmieri distinctione hac in re uti placet. Videlicet: cum matrimonium in societate fiat ac propter bonum commune, necesse est, ut potestas aliqua publica causis matrimonialibus regendis praesit tum ad componendas lites de matrimonii valore haud raro exorientes tum etiam ad determinanda singillatim quae naturae iure non satis sunt determinata, v. g. quibusnam cognationis gradibus matrimonium sit prohibendum. Attamen matrimonium cum, ut audivimus, semper et necessario res sit *sacra*, ab illa dicendum erit dependere potestate, cui sacra regenda sunt commissa, non secus atque universa religio et cultus divinus omnis. Iam vero quibus religio supernaturalis non est neque adeo potestas circa sacra specialiter a Deo instituta, sc. infidelibus, eadem potestas, quae felicitatis temporalis curam habet, potestas sc. civilis, poterit etiam moderari sacris, imo cum plerumque contingat ut rex sit etiam pontifex, is sacrorum quoque fruetur plerumque iurisdictione.[1]) Nihilominus hoc etiam in casu haec sacrorum iurisdictio non erit potestatis civilis, ut civilis est. Ergo neque matrimonium suberit potestati civili quatenus civilis est, sed subest inquantum ipsi cura etiam incumbit sacrorum; eoque ipso

[1]) Quam principum saecularium potestatem agnoscere videntur plura S. Congregationum decreta, quae legi poterunt apud Gasparri, Tract. de matr. I, 285 sq.

nullatenus ei iam subest in societate christiana, ubi omnis sacrorum cura concredita est Ecclesiae.

SCHOLION. Quaeritur denique de potestate auctoritatis *civilis* in matrimonia *christianorum*.

Aliquatenus etiam civili potestati subesse matrimonium christianum admitti debet. „Inquantum ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi civilis legis.“ [1]) Sic Angelicus. Clarius etiam et accuratius Leo XIII (Encycl. ‚Arcanum‘): „Non ipsa (Ecclesia) ignorat neque diffitetur, sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur; de quibus rebus iure decernunt et cognoscunt qui reipublicae praesunt.“

At quaeritur, quo sensu matrimonium christianum subsit potestati civili et quomodo subiectio haec cohaereat cum Ecclesiae potestate propria et exclusiva, quae in thesi probata est. Iam vero ut in omni contractu sic etiam in matrimonio distinguenda sunt *essentialia* ab *accessoriis.* Essentialia sunt: ipsum vinculum indissolubile, consensus, quo vinculum efficitur, ius et officium simul cohabitandi, legitimitas prolis, ius ad prolem educandam. Accessoria sunt dos, res familiaris aliaque. Iam vero quae essentialia sunt, eo ipso quod in christianis essentia contractus tota sit sacramentum, ad potestatem Ecclesiae solam spectare probatum est. Per matrimonium igitur, quod *civile* dicitur, quoque pactum nuptiale statuitur validum citra Ecclesiae sanctionem, auctoritas civilis et suos praetergreditur limites et quae iuris Dei et Ecclesiae sunt iniuria summa sibi arrogat. [2]) Nec solum per matrimonium civile status fines potestatis suae transgreditur; verum etiam *impediendo, quominus matrimonia ineantur*, cum sub poena nullitatis certos coniugum redditus vel communi-

---

[1]) S. Th. C. gent. 4, 78.

[2]) Matrimonium *civile* distinguitur: matrimonium civile *subsidiarium* (Not-Civilehe), cum lex statuit, ut matrimonium civiliter inire possint validum quicunque coram Ecclesia contrahere non possunt; matrimonium civile *facultativum* (Fakultative Civilehe), cum lex civilis arbitrio cuiusvis permittit, ut contrahat vel coram Ecclesia vel coram magistratu civili, utrumque matrimonium habens validum; matrimonium civile *obligatorium* (Zwang-Civilehe), quod in eo est, ut omnes qui matrimonium inire volunt obligentur ad matrimonium civiliter contrahendum.

Codice iuris civilis *Germaniae*, sicut plerisque aliis Codicibus recentioribus, matrimonium statuitur civile *obligatorium.* Videtur tamen nonnullis Codici illi nostro temperamentum additum esse, quo facilius tolerari possit, in eo situm, quod a. non de matrimonio simpliciter loquitur, sed de matrimonio *civico* (Bürgerliche Ehe); b. expresse declaratur, Ecclesiae leges circa matrimonium manere intactas nec eas evertendi legumlatorum esse mentem; c. est sane temperatio non spernenda, quod ut conscientiae satisfiat in articulo mortis, cum magistratus civilis adiri nequit, ecclesiasticum matrimonium impune praemitti sinitur; d. quod denique secundum legem civilem vinculo manente separatio a toro et mensa locum habere potest. Cf. de tota hac materia *Hollweck*, Das Civileherecht des Bürgerlichen Gesetzbuchs.

tatis civilis consensum vel similia exigit. Accessoria vero matrimonii possunt esse iurisdictionis civilis, et inquantum ad commune bonum spectant atque ideo auctoritate determinanda sunt, huius civilis potestatis est eorum curam habere; quocirca civili potestati ius competit, et ut de matrimonio inter cives inito certior fiat et ut effectus horum matrimoniorum civiles constituat, qui procul dubio ad civile regimen solum spectant. „Caesar retineat quod est Caesaris et relinquat Ecclesiae quod est Ecclesiae; potestas civilis condat decreta sua de effectibus civilibus, qui ex matrimonio oriuntur, sed relinquat Ecclesiae decernere de validitate illius inter christianos“ (Pius IX ep. ad Vict. Emmanuelem regem; cf. praeterea Leonis XIII litt. ad episc. Venetae provinciae 8 febr. 1893).